ATHETESEON SOPHOCLEARVM SPECIMEN

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI. MENSIS MARTII ANNI CIϽIϽCCCLXIV

PVBLICE DEFENDET

ALBERTVS ZIPPMANN

CONFLVENTINVS

SEMINARII PHILOLOGICI NVPER SENIOR.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

THEODORVS BERNHARDT, PHIL. DR. HISTOR. PRIVATIM DOCENS.
IOSEPHVS HASENMVELLER, PHIL. DR.
WALTHERVS BERGER, SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER.

MDCCCLXIV.

CLEMENTI THEODORO PERTHES

VIRO EXIMIE DE SE MERITO

FRIDERICO RITSCHL

OTTONI IAHN

PRAECEPTORIBVS BENEVOLENTISSIMIS

PIO GRATOQVE ANIMO

S.

El. v. 1170.

Electra urnam, quae Orestis cinerem continere dicitur, complexa multumque lamentata, quod et ipsa tota afflicta sit fratris morte, sic pergit vv. 1165—69:

τοιγὰρ σὺ δέξαι μ' ἐς τὸ σὸν τόδε στέγος,
τὴν μηδὲν εἰς τὸ μηδέν, ὡς σὺν σοὶ κάτω
ναίω τὸ λοιπόν. καὶ γὰρ ἡνίκ' ἦσθ' ἄνω,
ξὺν σοὶ μετεῖχον τῶν ἴσων· καὶ νῦν ποθῶ
τοῦ σοῦ θανοῦσα μἀπολείπεσθαι τάφου.

Argumentatio igitur haec est, ut ideo ad inferos se admittendam esse dicat, quod, quo consortio adhuc cum fratre iuncta fuerit, eo postmodum quoque iuncta manere velit. Ab hac argumentatione alienus est v. 1170:

τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους

non enim argumentum profert, quo *cum fratre* apud inferos sibi habitandum esse evincat, sed mors in universum cur optabilis sit. Quae discrepantia eo magis offendit, quod etiam per totam alteram orationis partem continuo intimam respicit suam fratrisque coniunctionem. Etenim postquam vv. 1126 — 1142 fratrem deplorans et tristem eius reditum cum exitu laetiori comparavit et id maxime conquesta est, quod suorum operam in funere non expertus sit, inde a v. 1143 de se ipsa agit: ac proficiscitur quidem ab eo, ut fusius describat officia sua fratri infanti praestita tanta, ut cum omnibus reliquis tum ipsa matre coniunctior cum eo fuerit (vv. 1143—48): deinde ostendit nunc in irritum cecidisse labores illos, se et ipsam periisse, perdita esse omnia invidia daemonis sibi et fratri communis (v. 1157 *δαίμων ὁ σός τε κἀμός*) (vv. 1149—64): postremo cum haec ita sint (*τοιγὰρ* v. 1165), ad fratrem sibi confugiendum esse dicit, quocum ut in vita ita in morte coniuncta esse ve-

lit (vv. 1165—69). Ad intimam igitur communionem, unde profecta erat, oratio redit, ita ut quasi circulus quidam absolvatur et claudatur quodammodo, super quem aut nihil addi debebit aut, si quid turbet egregiam concinnitatem, tum sententia tum dictione multo fortius et insignius esse quam detritus iste locus communis valde debilis prae proximi et argumenti et sermonis gravitate. Nam si quis forte neget in oratione doloris ac maeroris plena talem requiri argumentationis necessitatem, ut non subiungi liceat argumentum a continuitate quidem illa alienum, sed non absonum tamen a mortis desiderio, illud non poterit non concedere post ea, quae praecedunt, languere hunc versiculum et mirum quantum infirmare exitum, quoniam multo praeclarius cernitur ingenua amantissimae virginis indoles, si non propterea mortem cupit, ut sollicitudine liberetur, sed nulla sui ratione habita, quidquid fratri contingit, et ipsa subire vult.

Neque vero certius deest interpolationis indicium. Namque verba *καὶ νῦν ποθῶ τοῦ σοῦ θανοῦσα μἀπολείπεσθαι τάφου* (1168 sq.) per se spectata sic videntur explicanda esse, quasi dicatur *καὶ νῦν ποθῶ θανεῖν καὶ τοῦ σοῦ μἀπολείπεσθαι τάφου*. Atque ita et explicavit Wunderus: „*duo* autem hic optat Electra, *et ut nunc moriatur et* ut in eodem cum fratre sepulcro condatur“ et interpretatus est Hartungius: „und wünsch ich auch, mit dir zu sterben, mitzuruh'n in deiner Gruft“. Quae interpretatio si recta est, apte prioris desiderii ratio haec subiungetur *τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους*: sed errasse Wunderum cum Hartungio accuratius docebit examen eorum, quae praecedunt. Nam Electra vv. 1150 sq. calamitates Orestis morte inflictas enarrans sic ait: *πάντα γὰρ συναρπάσας θύελλ' ὅπως βέβηκας· οἴχεται πατήρ· τέθνηκ' ἐγὼ σοι· φροῦδος αὐτὸς εἶ θανών.* „Cuncta enim decedens tempestatis instar tecum abstulisti — abiit pater — *mortua sum ego* per te — mortuus ipse decessisti“ (Schneidew.: „ich verdanke dir gleichfalls den Tod“ — Donnerus: „ich bin gestorben“) creberrimo sentiendi ac dicendi genere usa: nemo enim nescit ut apud alios scriptores ita apud Sophoclem quoque saepissime infelices mortuis se comparare.

Sed reliquis locis cum et obliterari et statim relinqui soleat haec figura nec latius quam ad unam fortasse dictionem pertinere, hic cum maiorem vim habet eo, quod Electram ut mortuam cum patre et fratre vere mortuis componit, tum singulari constantia continuatur. Licet enim minus appareat in proxime sequentibus, eadem redit et id quidem pari gravitate in vv. 1163 sqq., ubi Electra verbis φίλταθ' ὥς μ' ἀπώλεσας· ἀπώλεσας δῆτ', ὦ κασίγνητον κάρα vere se exstinctam sibi videri diserte confirmat δῆτα asseverandi particula[1]) propriam ἀπολλύναι verbi vim atque naturam perspicue notans (Donnerus: Gabst mir den Tod, ja gabst den Tod mir"). [2]) Ac sic demum rationem habet ipsum illud, quod sequitur, sepulturae desiderium: τοιγὰρ inquit v. 1165 „quoniam exstincta sum per te, recipias me sub hoc tectum tuum, *mortuam in mortuorum domum*, ut tecum abhinc apud inferos habitem": nam τὸ μηδέν proprio sensu de mortuo intellegi vult, sicut Aiax mortuus (v. 1232) ὁ μηδείς vocatur [3]). Quod si verum est — ac verum esse etiam inde elucet, quod non facile sepelitur nisi qui mortuus est — necessario sequitur, ut rationem, qua communis sepulturae desiderium iustum esse ostendat, non hanc subiungere possit: „ut enim, dum in terra eras, paria semper tecum sortiebar, ita nunc quoque desidero, ut *moriar et* particeps fiam tumuli tui" — nam qui cupiat demum mortem, quae et exposuerit se iam mortuam esse et ut mortua sepulturam poposcerit? — sed hanc potius: „ut enim, dum in terra eras, paria semper tecum sortiebar, ita nunc quoque *mortua* h. e. *cum mortua sim*, desidero, ut haud expers sim tumuli tui [4]). Sic usque ad finem constanter Electra figuram de morte de-

---

[1]) Cf. Phil. 759 sq. El. 842 sq. 1455 sq.

[2]) Contra in v. 808 quamquam eadem dictione ὥς μ' ἀπώλεσας θανών utitur, diversam persecuta sententiam deplorat se ut solam vivam a patre et frate mortuis inter hostes infensos relictam, cui qui vitam adimat grate facturus sit.

[3]) Non translato, quo οὐδέν dicuntur vivi, qui nihili valeant, Teucer ibid. et Eteocles Eur. Phoen. v. 601 (598), quem locum cum nostro Wunderus comparare non debebat.

[4]) Itaque recte Thudichumius: „Und nun sehn' ich mich, von dir, gestorben, auch im Grab nicht fern zu sein."

sumptam, unde exorsa est in v. 1152, persecuta egregie describit totam calamitatis ac sollicitudinis suae magnitudinem: in ipso vero fine θανοῦσα vocabulum, si recte intellexeris, cum peculiari vi addi senties, quo denuo illa figura elucescat.

Nam finem hunc orationis esse nec subiici posse ab Electra τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους certissimum est, si in eis quae praecedunt non duplex illud, de quo Wunderus cogitavit, sed unam sibi optat, quasi iam mortua sit, tumuli fraterni communionem. Etenim laudatio mortis est: quae ut convenit cupienti demum mori, ita dedecet eam, quae et diu pro mortua haberi voluit et tota in eo est, ut fortunam suam deploret.

Itaque furcis eiicias versiculum, qui foede obliterat insignem poetae artem[1]).

Oed. R. v. 862.

Oedipus veritus, ne ipse interfector Laii sit, quamquam ab uxore admonetur ex oraculi reponso filii manu regem cadere debuisse, tamen mandat illi, ut rure servum arcessat, quem caedi interfuisse dixerit, 859 sq.:

καλῶς νομίζεις· ἀλλ' ὅμως τὸν ἐργάτην
πέμψον τινὰ στελοῦντα μηδὲ τοῦτ' ἀφῇς.

Iocasta respondet:

πέμψω ταχύνασ'. ἀλλ' ἴωμεν ἐς δόμους·
οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν ὧν οὔ σοι φίλον.

Ex his Iocastae versibus posteriorem elucet eo consilio additum esse, ut verbis πέμψω ταχύνασ' rationem subiiciat. Nam ad verba ἀλλ' ἴωμεν ἐς δόμους ita tantum pertinere possent, si ante domum Oedipus servum exspectare vellet: sed neque id se velle dixit nec cur velit ulla causa excogitari potest.

---

[1]) Simul apparet cur dissentire audeamus a Musgravio, Froehlichio, Iahnio, qui in v. 1152 τέτηκ' maluerunt pro τέθνηκ'. Haec enim coniectura refutari nobis quidem videtur non solum tota orationis continuitate et ipsius loci per se spectati consilio, quo mortuam cum mortuis componi monuimus, sed etiam talibus exemplis qualia sunt Ant. v. 559 et Phil. 1030.

Quae igitur relatio sensu flagitatur, eam valde veremur ut permittant linguae leges. Licet enim hanc rem ne commemorari quidem videamus a reliquis editoribus, a Schneidewino autem uno verbo notari, ac si offensione careat, tamen nos quidem neque invenimus neque posse inveniri credimus alterum locum, ubi duobus enuntiatis ita se excipientibus, ut particulae quidem laxissimo, at sententiae nullo vinculo contineantur, tertium γάρ coniunctione alteri adnexum rationem addat prioris. Ut enim ἀλλά particulam teneamus, manifestum est, si ea negativo enuntiato affirmativum ita opponit, ut varie exprimatur tantum una eademque sententia (nicht — *sondern*), enuntiatum γάρ vocula subiunctum non minus alteri positivo quam priori negativo servire. Cf. Ai. 1040 sqq.: μὴ τεῖνε μακράν, ἀλλ' ὅπως κρύψεις τάφῳ φράζου τὸν ἄνδρα χὤτι μυθήσῃ τάχα· βλέπω γὰρ ἐχθρὸν φῶτα κ. τ. λ. At si opponitur sententia a priori diversa (ἀλλά = *aber*) — id quod tum maxime fit, cum prior et ipsa positiva est —, ratio, quae priorem explicet, priori subiici debet. Nam ut proximo exemplo utar, quis ferat, si in Oedipi vv. 859 sq. aliquod enuntiatum, quod ad καλῶς νομίζεις pertineat, post ἀλλ' ὅμως-ἀφῇς demum sequatur? Nostro vero loco cum appareat nullo sententiarum nexu coniuncta esse verba πέμψω ταχύνασ' et ἴωμεν ἐς δόμους, sed hanc potius ἀλλά particulae vim esse, ut sermonem de servo inde a v. 835 continuatum abrumpat colloquio, ut Ellendtius ait, ad exitum properante, etiam multo minus licebit verbis οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν κ. τ. λ. rei iam absolutae et relictae πέμψω τάχυνασ' rationem indicare. Ad novam autem diversissimam ἴωμεν ἐς δόμους iam supra negavimus ea referri posse. Itaque iustam videntur suspicionem movere. Quam quae confirmet non deest altera offensio.

Nam ratiocinationem videmus falsissimam esse. Quid enim? Num ideo Iocasta servum arcessit, quod *nihil* facit eorum, quae coniugi *ingrata* sunt. Ideo potius, opinor, quod *omnia,* quae ei *grata.* Etsi enim exspectandum est, si quis omittit, quidquid alteri ingratum est, eum etiam eo obsequii progredi, ut faciat, quidquid illi gratum, tamen ne in quotidiana quidem vita homines promptum ad officia animum

affirmantes adeo neglegunt artem logicam, ut in nulla re sese adversaturos esse amico polliceantur. Quamquam igitur recte vertit Thudichumius: „Schnell will ich senden — Denn Nichts beginnen möcht' ich, was Dir nicht gefällt", tamen sana ratione postulari apparet: „Denn Alles will ich thun, was Dir gefällt." Quod ita esse senserunt alii interpretes, sed versione minus, accurata vitium obliterarunt, Brunckius: „nihil enim faciam, *nisi quod* tibi gratum fuerit", Schoellius: „Wie thu' ich anders Etwas, als wie Dir's gefällt?" Hartungium mire torsit hic versiculus, sed torsit, quod ἂν particulae repetitio parum elegans ei videretur. Itaque ut in v. 773 pro λέξαιμ' ἂν scripsit λέξαιμεν, ita nostro sic mutato οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμεν, ὧν οὐ σοὶ φίλον totum distichon sic interpretatus est: „Ich send in Eile; aber gehn wir jetzt hinein. Wir fördern *hier* ja dessen, *was Du wünschest*, nicht." Quod insigne Hartungianae levitatis exemplum non opus erit ut accuratius examinemus. Ipse enim vir doctus, cum commentarium adderet, errorem intellexit. Sed vide quam callide se expedire conetur: „Von der überlieferten Corruptel verführt, haben meine Vorgänger übersetzt: „Nichts unternehmen möcht ich, was Dir nicht gefällt." Unsere eigene Uebersetzung bitten wir *also* (?) abzuändern: „Wir würden *dann* nichts, *was Dir Schaden brächte*, thun."" Modo rectiorem versionem substituisset: sed neque οὕτως adverbium invenimus, cui nostrum „dann" respondeat — in graeca enim lingua non magis quam in nostra omitti poterit tale additamentum — nec tenuissima verba ὧν οὐ σοὶ φίλον tantum valere credimus, quantum sic eis tribuitur, denique simplicissimae nec quidquam, quo explicetur, desideranti adhortationi ἴωμεν ἐς δόμους dici nequit quam frigida argumentatio subiiciatur.

Feliciorem autem medelam quam Hartungius nemo huic versiculo afferet: nullis enim machinis efficiet, ut simul eo referri possit, quo debet, ad πέμψω ταχύνασ' et ut sententiam positivam exprimat in hac ratiocinatione necessariam. Itaque aut egregie erramus aut totus versiculus interpolatori tribuendus est: quo solo digna sunt vitia, quae notavimus, gravissima, digna sententiae, etiamsi recte expressa esset ieiu-

nitas, digna et φίλον vocabuli inconcinnitas — nam de imperio potius quam de optato agitur — et totius reliquae dictionis exilitas.[1]) Deleto autem tali centone aptissimam restitui senties genuinae clausulae brevitatem:

πέμψω ταχύνασ'. ἀλλ' ἴωμεν ἐς δόμους.[2])

Simul mentione dignum est constructionem spurii versiculi a Matthiaeo gr. gr. § 473 b recte ut confusam vituperari. Quam cum per ellipsin plerique explicent, Hermannus ad Vig. p. 872 „tantum", ait, „abest, ut τούτων omissum sit, ut potius additum difficultatem faciat, quia addito, si rectam volumus orationem esse, dici deberet ἃ οὐ σοὶ φίλον scilicet πρᾶξαί με. Quin cum ὧν dicit poeta, utrumque comprehendit, et genetivum, qui ad οὐδέν, et pronomen, quod ad φίλον referatur." Sed nobis stare non posse videtur Hermanni ratio: nam genetivus quidem, qui ad οὐδέν referatur, necessario est τούτων, cuius omissionem cum attractione, ut vocant, coniunctam omni offensione carere confirmant et O. R. 788 καί μ' ὁ Φοῖβος ὧν μὲν ἱκόμην ἄτιμον ἐξέπεμψεν et alia exempla a Matthiaeo l. s. a. congesta: at „pronomen, quod ad φίλον referatur", accuratius vellem Hermannus definisset: neque enim de alio cogitare licebit, si non ad ellipsin confugies, nisi de neutro singulari ὅ, quod valde veremur ut aut ad τούτων plurale referri possit aut nescio qua confusione constructionis ὧν plurali contineri. Sed ellipsin quoque tam facilem quam necessariam esse negamus. Nam quae duo exempla ad eam comprobandam afferuntur, ea diversa esse apparet, Phil. 1227 ἔπραξας ἔργον ποῖον ὧν οὐ σοὶ πρέπον; et Aesch. c. Timarch. III p. 39 R. ἐκ τοῦ πράττεσθαί τινα ὧν οὐ προςῆκεν, ἐκ τούτου τοὺς νόμους ἔθηκαν οἱ παλαιοί. In his enim praeter τούτων demonstrativi omissionem, quae attractionem efficit quamque licere iam monuimus, una infinitivi omissio statuenda est: quam crebram esse apud πρέπει

---

1) ἄν particulae repetitio, etiamsi vel durior est cum aliis locis tum in Eur. Troad. 1244 ἀφανεῖς ἂν ὄντες οὐκ ἂν ὑμνηθεῖμεν ἄν, tamen sine dubio non valde commendat versiculum suspectum.

2) Similiter in Eur. El. v. 787 Aegisthum post verba ἀλλ' ἴωμεν ἐς δόμους Orestem eiusque comites in domum duxisse nuntius narrat.

et *προςήκει* impersonalia in enuntiatis relativis vel thesauri docent. Cf. Plat. Tim. p. 17 B *ξεινισθέντες οἷς ἦν πρέπον* (scil. *ξεινισθῆναι*) *ξενίοις*. Aesch. Suppl. 180 (H.) *ζαχρεῖ' ἔπη ξένοις ἀμείβεσθ' ὡς* (scil. *ἀμείβεσθαι*) *ἐπήλυδας πρέπει*. Herod. 4, 139 *τίσασθαι οὕτως ὡς ἐκείνους* (scil. *τίσασθαι*) *πρέπει*, 8, 68, 1 *ἀπήλλαξαν οὕτως ὡς κείνους* (scil. *ἀπαλλάξαι*) *ἔπρεπεν*, 8, 114 *Μαρδόνιος ὅδε δίκας δώσει ὡς ἐκείνοισι* (scil. *διδόναι*) *πρέπει*. — Demoth. p. 288, 25 *πάντα ὅσα προςῆκε τὸν ἀγαθὸν πολίτην* (scil. *πράττειν*) *ἔπραττον*. Thuc. 2, 46 *ἀπολοφυράμενοι ὃν προςήκει* (*ὀλοφύρασθαι*) *χωρεῖτε*. Xen. Cyr. 4, 1, 2 *ἐπειδὰν παρ' ὧν προςήκει* (*πυθέσθαι*) *πύθωμαι* al. Qui vero offendant coniunctae omissiones, quarum neutra aut per se illicita sit aut alteri repugnet? At *φίλον ἐστίν* neque omnino solet impersonaliter cum infinitivo construi et hoc loco praeter *πράσσειν* infinitivum etiam accusativum subiecti ut suppleamus desiderat. Nam ut *ἅ σοι πράσσειν πρέπον* et *ἃ πράττεσθαι οὐ προςῆκε* non aliter intellegitur nisi „quod *te* facere decet", et „quae fieri non decebat", ita *οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμι τούτων ἅ σοι φίλον ἐστίν* significat „quae facere te iuvat", ita ut secunda persona et facere et iuvari dicatur: quae sententia perversa est. Duplex autem ellipsis *ἃ ἐμὲ πράσσειν* et dubitamus num concessa sit et impeditiorem constructionem flagitat: quis enim non impersonali illi personalem usitatissimam praeferat *ἃ οὐ σοὶ φίλα ἐστίν*.

Quamquam fatemur tam lubrici generis, quale ellipsis est, fines atque naturam parum certo nobis perspecta esse quam ut confidentius de eo loqui audeamus. Itaque supra noluimus huius incertioris, quod fortasse haberi posset, argumenti societate infirmare reliqua certissima: sed his potius effecturi esse videbamur, ut ne nimium auctoritatis apud grammaticos haberet tanquam Sophocleum, quod unum attulerunt, valde dubiae constructionis exemplum.

Trach. v. 280.

Lichas Deianirae narrat Herculem, ut gravem iniuriam ab Euryto acceptam ulcisceretur, Iphitum filium eius imprudentem, de rupe deiecisse. vv. 274 sqq.:

ἔργου δ' ἕκατι τοῦδε μηνίσας ἄναξ,
ὁ τῶν ἁπάντων Ζεὺς πατὴρ Ὀλύμπιος,
πρατόν νιν ἐξέπεμψεν, οὐδ' ἠνέσχετο,
ὁθούνεκ' αὐτὸν μοῦνον ἀνθρώπων δόλῳ
ἔκτεινεν· εἰ γὰρ ἐμφανῶς ἠμύνατο,
Ζεὺς τἂν συνέγνω ξὺν δίκῃ χειρουμένῳ.
ὕβριν γὰρ οὐ στέργουσιν οὐδὲ δαίμονες.

Horum versuum postremum Sophocleum esse persuadere nobis non possumus.

Ad *ὕβριν* scholiasta adnotat *τὴν ἀδικίαν* h. e. iniuriam qua ab Euryto Hercules affectus est: *στέργειν* aut patienter ferendi notionem habet, quam scholiasta h. l. ei tribuit (*οὐδ' αὐτὸ τὸ θεῖον ὑβριζόμενον καρτερεῖ, ὃ λίαν ἐστὶν ἀνεκτότατον,*) aut amandi, quam praeferunt recentiores, quantum scio, omnes. Sed utrumque pariter perversum, et „ne di quidem patienter ferunt iniuriam“ et „ne di quidem amant iniuriam.“ Nam hoc alterum prorsus impium est atque nefarium, cum dei dicantur maxime omnium in scelera inclinare: prius autem illud paulo quidem religiosius nimiam esse deorum indulgentiam negat, sed negat ita, quasi magis quam alii, praesertim homines, ferre atque excusare soleant iniuriam: utique Sophocleum neutrum, nec christiana illa doctrina, quae deum ignoscere statuit vel gravissima peccata pro incredibili clementia sua, nec saeva illa, qua cum in aliis antiquissimis Graecorum fabulis tum in Prometheo Aeschylea immortales describuntur ut vi potius atque arbitrio quam legibus et iustitia ducti. Quamquam talem de numine divino opinionem Sophocli imputare conatus est Iohnsonus sic interpretans: „ne di quidem, quibus summa datur potestas nocendi“: sed vehementius errari non posse in theologumenis Sophocleis non opus erit ut demonstremus.

Rectius sine dubio senserunt Brunckius et Thudichumius: quorum hic vertit: „Denn Uebermuth nicht lieben sie, die Unsterblichen“, ille: „iniuriam enim non omnino amant dei“, sed omissa, ut Bothius recte monet, οὐδέ particula. Hanc enim, cum οὐ simplici subiungitur, idem significare quod „ne quidem“ et aliunde notum est et Ellendtius docet s. v. οὐ 5 p. 421 his exemplis collectis O. C. 798 οὐ γὰρ ἂν κακῶς οὐδ' ὧδ' ἔχοντες ζῶμεν, Phil. 106 οὐκ ἆρ' ἐκείνῳ γ' οὐδὲ προςμῖξαι θρασύ; O. R. 287, Ant. 563, Ai. 560, 1242, 1281, El. 359, 595, 630, quibus etiam nostrum locum adnumerat et adnumerare debebat Tr. 725 sq. Itaque accurate et Donnerus atque Hartungius vertunt: „Denn freche Unthat (fr. Hochmuth) lieben *auch* die Götter nicht“ et Dindorfius cum Schneidewino interpretatur: „non magis quam homines“: sed hanc comparationem non solum valde languidam esse, sed ineptam quoque et deis indignam semel admonitus senties. Duorum autem locorum, quos Schneidewinus conferri iubet, a nostro diversa est ratio Tr. 125 sqq.: φαμὶ γὰρ οὐκ ἀποτρύειν ἐλπίδα τὰν ἀγαθὰν χρῆναι σ' ἀνάλγητα γὰρ ο ὐ δ' ὁ πάντα κραίνων βασιλεὺς ἐπέβαλε θνατοῖς Κρονίδας et 365 sqq,: καὶ νῦν, ὡς ὁρᾷς, ἥκει δόμους ὡς τούσδε πέμπων οὐκ ἀφροντίστως, γύναι, οὐδ' ὥστε δούλην· μηδὲ προςδόκα τόδε· ο ὐ δ' εἰκός, εἴπερ ἐντεθέρμανται πόθῳ. Nam hic sola οὐδέ particula posita est et ita quidem posita, ut id, quod super negationem continet, non plus ponderis habeat, quam apud nos „auch“ illud, quod ἐγκλιτικῶς, ut ita dicam, non προκλιτικῶς in pronuntiatione deprimitur: „Schmerzlosigkeit hat ja auch Zeus den Menschen nicht beschieden“ et „ist's ja doch auch nicht wahrscheinlich“ — nimius enim Schneidewinus est, cum priori loco vertat „so wenig ja auch Zeus *seinerseits*“ cet. — at nostro loco simplici negationi subiuncta haud minus quam eis, quos supra attulimus, necessario adaucta vi eam notionem, cui praecedit, premens gradationem illam perversam efficit. Itaque aut fallimur aut interpolator, qui sententiam a Sophocle verbis σ ὺ ν δ ί κ ῃ χειρουμένῳ (v. 279) aptissime indicatam potius quam expressam hoc additamento pariter inutili atque infirmo illustrandam esse censeret, necessitati metri, quod explendum

esset, falsam illam particulam concessit subditivae originis indicem.[1])

Ant. 495 sq.

Creon Antigonae in fratris sepultura deprehensae ultimum supplicium minatus Ismenam quoque criminis sociam sibi videri dicit eamque advocari iubet his verbis (vv. 491 sqq.):

καί νιν καλεῖτ'· ἔσω γὰρ εἶδον ἀρτίως
λυσσῶσαν αὐτὴν οὐδ' ἐπήβολον φρενῶν.
φιλεῖ δ' ὁ θυμὸς πρόσθεν ᾑρῆσθαι κλοπεὺς
τῶν μηδὲν ὀρθῶς ἐν σκότῳ τεχνωμένων.
μισῶ γε μέντοι χὤταν ἐν κακοῖσί τις
ἁλοὺς ἔπειτα τοῦτο καλλύνειν θέλῃ.

Scholiasta ad vv. 495 sq. haec adnotat: μισῶ γε μέντοι· μισῶ τὸν ἁμαρτάνοντα καὶ ἐπικοσμοῦντα τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῦ. τοῦτο δὲ φησὶν, ὅτι ἁλοῦσα ἡ Ἀντιγόνη ἔφασκε τῷ θείῳ νόμῳ ἐπαρκεῖν.

Hac explicatione, quam omnes probant, fatendum quidem est ipsis verbis, si per se spectantur, aptam sententiam elici, sed quomodo cum superioribus coniungi possint nos quidem non perspicimus.

Cum enim verborum collocatio hanc solam constructionem permittat, ut *τοῦτο* pronomine inter *καὶ* et *ὅταν* intellecto latine cum Bothio vertatur: „odi autem *et hoc*, si quis in scelere deprehensus“ cet. [2]), germanice cum Schneidewino: „hassen freilich muss ich *auch dies*, wenn Jemand bei bösen Thaten ertappt, hinterher sein Thun zu beschönigen strebt“, [3]) *καί* particula hoc efficit, ut Creon significare videatur utrumque pariter

---

[1]) Eandem sententiam videmus propositam esse loco merita oblivione oppresso, in XVIII. ex thesibus, quas L. G. Deventerus dissertationi suae adiecit „de interpolationibus quibusdam in Sophoclis tragoediis“ Lugd. Bat. a. h. s. 51 editae.

[2]) Parum accurate Brunckius omissa *καί* particu la: „v e r u m male odi, si quis in scelere deprehensus tamen concinnis comere illud dictis parat.“

[3]) Similiter Thudichumius: „Doch hass ich den n i c h t m i n d e r“ et Hartungius: „doch a u c h das ist mir ein Greuel.“

invisum sibi esse, et si quis mali facinoris conscius ipse se prodat et si quis in eo deprehensus speciosa oratione se purgare studeat." Prioris ratio, opinor, si non accepta, at non invisa saltem esse poterit, praecipue ei, cuius interest, ut noxius puniatur.

Aliam constructionem nos quidem negavimus excogitari posse, sed excogitarunt Wexius et Iacobus *καί* voculam non ad totum, quod sequitur, enuntiatum referentes, sed ad solum *καλλύνειν* infinitivum. „Hassen aber muss ich es, wenn Einer, wie Antigone, *ἁλοὺς ἐν κακοῖσι* (ergriffen auf böser That) *τοῦτο καὶ καλλύνειν θέλει* diese *noch* beschönigen will" (Iac.). Sed etiamsi *καί* particulae de loco suo transpositae exempla non desint (cf. Ellendtium s. v. *καί* C. 4 p. 893), nullum invenies huic simile, ubi coniunctioni, quae enuntiatum incipit, praemissa ad unum vocabulum pertineat, quod tam multis demum verbis interiectis in medio enuntiato sequitur. Atque ut concessa sit haec inaudita licentia, nequaquam melior sententia evadit. Sic enim enuntiatis sola *μέντοι* coniunctione adversativa adnexis cum Antigonam vituperet Creon odisse se dicens defensionem hominis in manifesto scelere deprehensi, idem laudare videtur Ismenam non invisam sibi esse indicans animi culpae conscii proditionem: qua laude nil magis abhorrere elucet a regis consilio.[1])

Tolerabilior fortasse esset ea licentia, de qua olim Schneidewinus cogitavit *ὅταν καὶ ἁλοὺς ἐν κακοῖς τις τοῦτο καλλύνειν θέλῃ·* verum aeque perversus ita erit sententiarum nexus: nam adversative subiuncta Antigonae reprehensio Ismenae laudem involvit.

Itaque si recte ostendimus nec vituperari posse nec laudari a Creonte Ismenae perturbationem, omnino veremur, ut recte ei vel opponatur vel comparetur aliquid, quod reprehensione, quod odio dignum esse dicatur.

Imo, si nullam huius odii rationem habemus, omnem omnino sententiarum in vv. 493 sq. et 495 sq. propositarum opposi-

---

[1]) Etiam in eo Wexius errat, quod *καί* particula ad totum enuntiatum relata hanc loci sententiam fore arbitratur, ut videatur Creon „Ismenam m a g i s odio habere quam Antigonam."

tionem claudicare credimus. Nam Schneidewinus quidem eam ita definire conatus est: „der Gegensatz liegt wesentlich in Ismenes unwillkürlichem Aeussern der Schuld durch ihr Verhalten und im *Ueberführtsein der verstockten* Antigone. Sed nocenti, qui πρόσθεν h. e. antequam ab aliis vel accusatur vel deprehenditur ipse se prodit mentis male sibi consciae indiciis, apte opponi non poterit nisi aut is, quem adeo sceleri assuefactum, ut supprimere possit indicia illa, ab aliis demum vel deprehendi vel argui oportet — in qua comparatione utriusque ratio describitur *ante* deprehensionem observata — aut, si de homine agitur iam deprehenso, is, qui quamquam in manifesto scelere deprehensus *negare* tamen audet se facinus patrasse. Quarum oppositionum prior, si hoc loco fieri posset, ita definienda esset: „Ismenes unwillkührliches Aeussern der Schuld durch ihr Verhalten und Ueberführt- oder Ertappt*werden* der verstockten Antigone." Sed haec a rerum condicione aliena est: nam Antigona non aut convincenda demum est argumentis aut deprehendenda in re manifesta, sed iam deprehensa et deprehensione convicta. Altera vero oppositio, quae comparans rationem alterius non deprehensae alterius deprehensae ita definietur: „Ismenes unwillkührliches Aeussern der Schuld durch ihr Verhalten und *verstocktes Leugnen der überführten*, d. h. *auf der That ertappten* Antigone, et ipsa aliena est a rerum condicione, quoniam Antigona confiteri non dubitavit crimen sibi obiectum: sed haec tamen oppositio unice logica: nam ei, qui ante deprehensionem quasi confitetur crimen, contrarius est is, qui post deprehensionem negat. Quamquam video fore, qui dicant καλλύνειν non multum diversum esse a negando. Sed hi meminerint Ismenam se gerere ut mali facinoris sibi consciam (μηδὲν ὀρθῶς ἐν σκότῳ τεχνωμένων), Antigonam vero tantum abesse, ut fratrem a se sepultum esse neget, ut et confiteatur facinus suum et eo glorietur ut iusto honestoque (vv. 443, 448, 450 sqq. [1]). Denique ne potest quidem Creon comparare

[1]) Schneidewini definitionem non accuratam esse etiam inde apparet, quod facile eam ita interpretari poteris, ut neque a priori neque ab altera nostra, quae diversissimae sunt, differat nisi rei absolutae et durantis discrimine:

rationem ab Ismena ante deprehensionem observatam et Antigonae deprehensae: unde enim scit illam, etiamsi crimen quasi confessa sit perturbatione sua, tamen ad se adductam non et ipsam *καλλυνεῖν*?

Itaque cum consociari inter se nullo modo possint haec duo disticha, alterutrum delendum esse elucet, nisi forte aptior ei locus, quo transponatur, indagabitur: quem indagari posse confidenter negamus. Neque vero magis cuiquam persuadebitur prius, quod ad Ismenam spectat, aut Sophocle indignum videri aut tolli posse, quin augeantur potius quam diminuantur offensiones. Contra alterum haud uno nomine suspectum est. Cuius tota dictio colorem prodit a reliqua oratione diversissimum. Vide enim, quanta cum gravitate atque dignitate rex adhuc locutus sit: „acerrimam quamque vim facillime frangi: ferrum igni, equos freno domari: multo minus servam decere superbiam: proterve autem egisse Antigonam, cum edictum propositum violaret, proterve iterum, cum violato gloriaretur: itaque profecto non virum se fore, si impunitam dimitteret talem insolentiam: sed quamvis affinitate sibi iunctas et ipsam et sororem eius pessimis exemplis esse perituras.“ Ab hoc orationis impetu, quo ira regis in servam contumacem ita effunditur, ut gravius vix fieri queat, unusquisque semel admonitus sentiet valde discrepare eoque indignam esse occultam istam et quasi timidam significandi potius quam dicendi rationem, quae sub sententiae generalis specie Antigonam oblique carpit. Praecipue vero languidum et a regis indole alienum est ipsum illud *μισεῖν* verbum, quam gravissimae offensionis caussam esse cognovimus. Porro intelleges parum significanter positum esse *καλλύνειν*: etiamsi

---

quod vitium positum est in vocabuli „Ueberführtsein,“ quo utitur, ambiguitate. Nam si de eo intellegitur, qui deprehensus est in re manifesta, nostram habebis oppositionem priorem, sin de eo, qui crimen sibi obiectum infitiatus redargutus demum est argumentis, nostram alteram. Ipse Schneidewinus non dubitandum est quin voluerit deprehensionem designare et sententiae *πρόσθεν ᾑρῆσθαι κλοπεύς* solum opponere *ἐν κακοῖς ἁλούς*, non quod debebat *ἐν κακοῖς ἁλοὺς καλλύνειν θέλῃ*. Sed non posse opponi quod debet satis videmur demonstrasse.

enim Antigona ut *καλόν* facinus suum defenderit, tamen eam multo longius progressam sibi videri supra rex significavit vv. 482 sq. *ὕβρις δ' ἐπεὶ δέδρακεν ἥδε δευτέρα τούτοις ἐπαυχεῖν καὶ δεδρακυῖαν γελᾶν.* Denique consideres, quaeso, quam languidum, imo quam ineptum sit *τοῦτο* pronomen. Quid enim? Nonne *τὸ ἁλῶναι* Antigona dici videtur *καλλύνειν* velle? Quam absurditatem miror uni Blaydessio animadversam esse, qui *ταῦτα* proponit: sed quamvis leni mutatione tolli possit, nobis hoc novum accedere videtur gratum acceptumque indicium, quo inscita interpolatoris manus deprehendatur. Quae ut exerceretur nescio an causa fuerit Antigonae, quae sequitur, interrogatio, quae melius sese applicare videretur, si ultima regis verba non ad Ismenam, sed ad ipsam Antigonam pertinerent. Verum neque necessaria est talis iunctura et addita, ni fallor, etiam ingratam efficit orationis inconstantiam ad Antigonam, de qua iam peroratum videtur, praeter spem ac necessitatem redeuntis. Utique persuasum habemus graviori ac magis Sophoclea clausula terminari non posse Creontis orationem quam loco communi in vv. 493 sq. expresso:

φιλεῖ δ' ὁ θυμὸς πρόσθεν ᾑρῆσθαι κλοπεὺς
τῶν μηδὲν ὀρθῶς ἐν σκότῳ τεχνωμένων.

Ant. vv. 45 sq.

Antigona sororem et certiorem facit Polynicem Creontis edicto a sepultura prohiberi et admonet occasionem oblatam esse generosi animi praestandi. Deinde colloquium ita continuatur:

Ἰσμ. *τί δ', ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ*
λύουσ' ἂν εἴθ' ἅπτουσα προςθείμην πλέον;
Ἀντ. *εἰ ξυμπονήσεις καὶ ξυνεργάσῃ σκόπει.*
Ἰσμ. *ποῖόν τι κινδύνευμα; ποῖ γνώμης ποτ' εἶ;*
Ἀντ. *εἰ τὸν νεκρὸν ξὺν τῇδε κουφιεῖς χερί.*
Ἰσμ. *ἦ γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ' ἀπόρρητον πόλει;*

45. Ἀντ. τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ τὸν σὸν ἢν σὺ μὴ θέλῃς
ἀδελφόν· οὐ γὰρ δὴ προδοῦσ' ἁλώσομαι.
Ἰσμ. ὦ σχετλία, Κρέοντος ἀντειρηκότος;
Ἀντ. ἀλλ' οὐδὲν αὐτῷ τῶν ἐμῶν μ' εἴργειν μέτα.

Dubitationem hic afferunt in v. 45 verba ἢν σὺ μὴ θέλῃς. Possunt enim ad totam enuntiationem τὸν γοῦν - ἀδελφόν referri, ut dicatur: „sepeliam meum certe et tuum fratrem, si tu nolueris.“ Quod si fit, caudam trahere senties ἀδελφόν vocabulum: alteram vero offensionem graviorem nil magis ostendit quam scholiastae interpretatio εἰ μὴ σὺ θέλεις θάπτειν, ἐγὼ τοῦτο ποιήσω μόνη. Quae enim notio σύ pronomini in enuntiato condicionali diserte ac significanter addito sola opponitur, ea necesse erat ut et ipsa diserte adderetur aut coniunctis vocibus ἐγὼ μόνη aut certe alterutra sola. Quamquam apparet, etiamsi expressa esset, haud minus perversam sententiam fore: ut enim, si tibi dicam „si tu non vis, ego hoc faciam“, tuum potius quam meum esse hoc officium indico, ita e verbis ἢν σὺ μὴ θέλῃς concludas Ismenam magis decere quam Antigonam ipsam curare, ne Polynices sepultura careat.

Itaque consideranda est altera constructio, quam verborum ordo permittit, hanc dico, ut ἢν σὺ μὴ θέλῃς ad solam dictionem τὸν σὸν ἀδελφόν pertineat: quae scholiasta obversabatur, cum haec adderet ἢ οὕτως· κἂν μὴ προσποιῇ αὐτὸν εἶναι σὸν ἀδελφόν, ἀλλ' ἀλλοτριοῖς σαυτὴν τῆς συγγενείας, ἐγὼ θάψω τὸν ἐμὸν καὶ σὸν ἀδελφόν. Sed elucet hanc interpretationem falsissimam esse: requirit enim aut κἂν σὺ μὴ θέλῃς aut ἢν καὶ σὺ μὴ θέλῃς. Servata autem codicum scriptura non video quae apta sententia elici possit ex hac angustiori enuntiati condicionalis relatione. Certe Hermannus vehementissime erravit, cum commate post ἐμόν posito sic interpretaretur: „meum certe, et, si tu tuum sepelire nolueris, tuum sepelire volo“: ita enim de duobus diversis fratribus agi videretur.

Quamquam, ni fallimur, non Hermanni interpunctione demum hoc efficitur: sed omnino credimus τὸν ἐμὸν καὶ τὸν σὸν ἀδελφόν duos diversos homines esse: nam ut unus communis designaretur omitti debebat articulus. Etenim cum duo nomina vel pronomina τε vel καί particulis copulantur, arti-

culus priori additus omittitur apud alterum, si est una eademque res vel persona, sed repetitur, si diversae sunt. A qua regula ita quidem scriptores recedunt, ut in rebus diversis omittant alterum articulum velut Oed. R. 607 sq. *μή μ' ἁπλῇ κτάνῃς, διπλῇ δὲ, τῇ τ' ἐμῇ καὶ σῇ, λαβών* — de quo genere loquuntur Matthiaeus gr. gr. § 268 not. 1; Madvigius synt. gr. § 16 b; Poppo ad Thuc. 1, 71, 4 p. 394; Seidlerus ad Eur. El. 430 — sed contrariae licentiae exemplum ut ex aliis scriptoribus nullum allatum invenimus a grammaticis aut in thesauris, ita ne ex Sophocle quidem afferri posse pro certo affirmare audemus, ni spectata nos fallit Ellendtii diligentia: nam in eo uno, quod apud hunc et apud Matthiaeum reperies O. C. 1113 sq. *κἀναπαύσατον τοῦ πρόσθ' ἐρήμου τοῦ τε δυστήνου πλάνου* ab omnibus recepta est Bothii Reisigii Hermanni emendatio *τοῦδε* prima Laurentiani manu confirmata. At nostro simillima aliquot exstant, ubi eisdem *ἐμός* et *σός* pronominibus coniunctim substantivo additis alterius articuli omissio unam eandemque rem possideri indicat. — Nam Antigona v. 6 *κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα* communium malorum commonefaciens *οὐδὲν γὰρ* ait *οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμον ἔσθ' ὁποῖον οὐ τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.* Neque aliter Electra, dum tota in eo est, ut suam et fratris fortunam arctissime coniunctam huiusque morte sibi et ipsi vitam ademptam esse exponat [vide quae suo loco ad El. v. 1170 adnotavimus], quod ultionis spes evanuerit, ita queritur v. 1157 *ἀλλὰ ταῦθ' ὁ δυστυχὴς δαίμων ὁ σός τε κἀμὸς ἐξαφείλετο.* Eidem Electrae v. 418 Chrysothemis Agamemnonem Clytaemnestrae in somnio apparuisse his verbis narrat *λόγος τις αὐτήν ἐστιν εἰσιδεῖν πατρὸς τοῦ σοῦ τε κἀμοῦ δευτέραν ὁμιλίαν.* (Cum quo loco conferri possunt, etiamsi differunt articulo neutrubi addito, duo Electrae Euripideae, quae v. 885 Aegisthum et 969 Clytaemnestram Oresti ita designat *Αἴγισθον, ὃς σὸν πατέρα κἀμὸν ὤλεσε* et *ὥσπερ πατέρα σὸν ἥδε κἀμὸν ὤλεσεν*). Denique Eur. Or. 1080 sq. Orestes, quod Electra secum mori velit, aliam in matrimonium ducere Pyladem sic iubet: *σὺ δ' ἄλλο λέκτρον παιδοποίησαι λαβών κῆδος δὲ τοὐμὸν καὶ σὸν οὐκέτ' ἔστι δή.* Quae exempla

omnia ita comparata esse apparet, ut, si articulum alteris pronominibus addas, rei diversitatem efficias, quae aut rationi repugnet aut manifesto poetae consilio. Itaque nostro loco Sophoclem ad unum Polynicem significandum haud minus omittere debuisse articulum, quam scholiasta omisit in altera illa interpretatione, non suspicabimur tantummodo cum Blaydessio — sic enim dubitantius ille nullis aliis locis collatis uno verbo iustissimam offensionem notat — sed confidenter contendemus, donec tot exemplorum consensu repetiti articuli unum nobis opposueris aeque indubitatum.

Itaque cum tradita scriptura gravissima suspitione prematur, memoratu dignissima ea verba sunt quae scholiasta addit *Δίδυμος δέ φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι.* Antiqui igitur grammatici Alexandrini, Didymi auctores, spurium putabant eum versum qui sequitur *ἀδελφόν· οὐ γὰρ δὴ προδοῦσ' ἁλώσομαι.* Illorum auctoritati ut debitum honorem haberent exspectandum erat recentiores, quotquot possent, crimina conquisituros esse, quibus eam confirmari dicerent; sed nos ne speciem quidem argumenti videmus qua hic versus in suspitionem vocetur. Nam etiamsi supervacaneus esset, ferri tamen deberet: sed hinc quantum absit, infra demonstrabimus: nec magis credimus quenquam sibi persuasurum fuisse infirmam videri atque obscuriorem partem alteram *οὐ γὰρ δὴ κ. τ. λ.*, nisi veterum illud iudicium animos praeoccupasset. Cum his vero criminibus etiam tertium cadit ne per se quidem satis validum: stichomythiam enim turbari aiunt: sed eadem aeque turbatur O. R. v. 294, 366; O. C. 404, 408; Ant. 404 al. Denique similitudinem versiculi Euripidei Andr. 190 *ὅμως δ' ἐμαυτὴν οὐ προδοῦσ' ἁλώσομαι* miror eidem Meinekio suspectam esse qui Nauckium vituperat quod Soph. O. C. 582 *τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς* ab interpolatore desumptum esse putat ex Eur. Phoen. 870 *αἵ θ' αἱματωποὶ δεργμάτων διαφθοραί.* [1])

Quamvis autem innocentem eum esse putemus, tamen gram-

---

[1]) Praeterea cf. O. R. 861 et Eur. El. 787; Ai. 480 et Phil. 1240; Phil. 1226 et 1257 et 1294; Ant. 1238 et Aesch. Ag. 1349 (H.)

maticorum illa auctoritas, quae munita fuisse potest vel antiquissimorum librorum testimonio vel alia re nunc ignota, aliquid ponderis habere videretur, modo deleto versu 46 stare posset v. 45: sed in hoc unusquisque videt nullam offensionem non remanere. Itaque hoc nomine minus improbabiliter agunt Nauckius et Meinekius quam qui aut traditam scripturam defendunt aut expuncto versu 46 nodum solvisse sibi videantur: illi enim simul versum 46 eiiciunt et versum 45 emendare conantur. Sed quis emendatum putabit aut prioris,[1] *τὸν γοῦν ἐμόν γε τὸν σὸν ἢν σὺ μὴ θέλῃς*, aut alterius[2] *τὸν γοῦν ἐμὸν τόν σόν τε κἂν σὺ μὴ θέλῃς·* quorum neutrum de uno homine intellegi potest. Atque ut possit, ipsam illam *ἐμός* et *σός* pronominum oppositionem ab totius loci natura alienam esse rectissime Engerus[3]) perspexit, quod obliterat fratris notionem illis pronominibus communem, quae verbis *ἀπόῤῥητον πόλει* distincte opponatur necesse est. Hoc enim Antigonam dicere oportet, quem sepelire civibus non liceat, eum sibi sepeliendum esse, utpote cui sanguinis affinitate coniunctus sit. Nec minus alienum esse Engero et Bonitzio[4]) concedes verborum *ἢν σὺ μὴ θέλῃς* aculeum. Nam licet Ismena cum interrogatione (v. 42) *ποῖ γνώμης ποτ' εἶ* tum v. 44 *ἦ γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ' ἀπόῤῥητον πόλει* se mirari ostendat de sororis incepto, tamen ne uno quidem verbo auxilium suum denegavit: quod postquam versibus 49 sqq. fecit, tum demum locum habent acerbiora Antigonae dicta, qualia sunt in vv. 69 sqq.: antea autem non castigare debet sororem, sed edocere, qua ratione ad consilium suum adducatur.

Haec vero gravissima argumenta contra Nauckium prolata omnium omnino rationem damnant, qui altero versu deleto emendare volent priorem: nam et exterminabunt notionem responsi concinnitati necessariam *ἀδελφόν* et vix tollere po-

---

[1]) Iahn. ann. 65, 239: quam coniecturam etiam Hesychii glossa *τὸν σόν· τὸν ἴδιον* vol. II, col. 1400 confirmari calidius statuit M. Schmidtius Philol. 11, 397

[2]) „Beitr. z. Krit. u. Erkl. d. Ant.“

[3]) Phil. 15, 121.

[4]) „Beitr. z. Erkl. d. Soph.“ II, Vindobonae 1857 p. 62 ex actis acd. Vindob XXIII, p. 358.

terunt simul enuntiati condicionalis offensionem et personarum discretionem: quae quo iure ab Engero vituperata sit, ostendit, opinor, versiculi 48 exemplum *ἀλλ' οὐδὲν αὐτῷ τῶν ἐμῶν μ' εἴργειν μέτα*, ubi si addatur *καὶ τῶν σῶν* mirum quantum officiatur orationis gravitati. Imo nescio an inconstantia ingratior oriatur, cum in versu 45 Antigona de suo et Ismenae, in proximo autem responso v. 48 de suo tantummodo officio loquatur.

Felici consensu eodem fere tempore, quo Engerus illa quasi praecepta emendationis ostendit, eadem exsecutus est Dindorfius in novissima editione Oxoniensi: neglecto enim scholiastae testimonio Sophoclem ita scripsisse coniecit:

ἦ γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ' ἀπόῤῥητον πόλει;
τὸν γοῦν ἀδελφὸν οὐ προδοῦσ' ἁλώσομαι

quae coniectura remota omni offensione aptissimam restituit responsi brevitatem et addito obiecto magnopere quasi firmat verba *προδοῦσ' ἁλώσομαι*. Attamen eam non veri similiorem esse censemus quam reliquas omnes, quae e duorum versiculorum particulis unum consarcinant: nam si quem animus tulerit ad interpolanda poetae verba, nobis quidem consentaneum videtur eum unum versiculum totum conficere malle, quam genuinum lacerando eiusque fragmentis sua verba miscendo simul difficiliorem sibi operam reddere et artificii sui, quo gaudet, integritatem corrumpere. Noster vero locus qua medela sanandus sit, semper eo minus dubitavimus, quod, si sententiam spectas, omnia aut necessaria aut apta inveniuntur in altero versiculo, omnia falsa in priori, sin dictiones, hic excellit significantia, gravitate, nitore, ille admodum tenuis est, exilis, merus denique pronominum et particularum cento *τὸν-γοῦν-ἐμὸν-καὶ-τὸν-σὸν-ἢν-σὺ-μὴ-θέλῃς*. Quem si abieceris et sustuleris interpunctionem, qua genuino adhaeret, vide quantum iuvetur et huius responsi et totius stichomythiae vigor atque impetus:

Ἰ. *τί δ' ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ*
λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα προσθείμην πλέον;
Ἀ. *εἰ ξυμπονήσεις καὶ συνεργάσῃ σκόπει.*
Ἰ. *ποῖόν τι κινδύνευμα; ποῖ γνώμης ποτ' εἶ;*

Ἀ. εἰ τὸν νεκρὸν ξὺν τῇδε κουφιεῖς χερί.
Ἰ. ἦ γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ', ἀπόρρητον πόλει;
Ἀ. ἀδελφὸν οὐ γὰρ δὴ προδοῦσ' ἁλώσομαι.

Γάρ particulae de secundo loco remotae conferas cum alia exempla multa ab Ellendtio congesta (s. v. 7 c), tum haec in quibus simile pondus habere senties vocabula ei praemissa: Ai. 518 χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί. O. C. 837 πόλει μαχεῖ γὰρ εἴ τι πημανεῖς ἐμέ.

Restat ut hanc viam eam esse moneamus, quae sola reliqua est ad conciliandas, quae conciliari non posse videbantur, rationem et auctoritatem. Etenim cum aegre nobis persuadere possimus illustres illos grammaticos Alexandrinos tam hebetis iudicii criticos hoc loco se praestitisse, ut versum 45 miserrimum assignarent, τὸν ἑξῆς pulcherrimum abiudicarent poetae, errore eorum, quorum auctores erant, factum esse arbitramur, ut sententia de priori statuta ad alterum pertinere putaretur. Quem errorem non opus est ut Didymo imputemus, sed aut is, cui scholiorum collectionem hodiernam debemus, aut posterioris aevi librarius aliquis, qui cum ipsis fabulis etiam scholia descripsit, annotationem versui 44 adstructam per socordiam iuxta ipsum spurium posuisse videtur. Quod licet nonnisi coniectura colligi possit, tamen nescio an probabilius sit, quam si quis forte sub ἑξῆς vocabulo scribendi vitium latere iudicet. Sed qualiscunque error fuit [1]), utique iam inveteratus erat, cum infelices illae interpretationes a scholiasta traditae excogitabantur: nullam enim genuini versiculi rationem habent.

Haec ita esse diu nobis constabat, cum accuratius apparatum criticum pertractantes Hermanni annotationi inserta parenthesi invenimus haec verba: „nove nuper quidam τὸν ἑξῆς priorem intellexit", quae antea aut non legeramus aut certe neglexeramus pro manifesti erroris, quem castigant, vehementia. Tum autem investigandum esse rati anonymum, cuius le-

---

[1]) Haud abs re erit monere etiam in Aiace cum ad τῶς αὐτοσφαγεῖς v. 841 adnotatum sit ταῦτα νοθεύεσθαί φασιν ὑποβληθέντα πρὸς σαφήνειαν τῶν λεγομένων, recentiorum consensu etiam vv. 839. sq. damnari.

vitate praeceptum esset, quod certa via ac ratione assecuti esse videremur, eam qua usi eramus editionum et commentariorum copiam frustra perscrutati novis demum libris adsumptis cognovimus Bothium, cuius primam modo editionem adhibere nobis licuerat, in tertia Lipsiae emissa anno h. s. 28 post scholiastae verba nihil addere nisi haec: „deleto igitur hoc versu (scil. *τῷ ἑξῆς*), quo caruisse videntur vetera quaedam exemplaria, explicatores isti uno tenore scribebant *ἀδελφὸν οὐ γὰρ δὴ προδοῦσ' ἁλώσομαι.*" Quo errore cum gravior haud facile excidere possit editori, non mirandum est Hermannum contemptim abiecisse certissimam, quae ei debetur emendationem, praesertim cum neque perspectae essent illo tempore pleraeque loci offensiones et acriori studio, quam merebantur, vir summus interdum defenderet versiculos, quos interpollatos esse nunc omnes consentiunt.

Ai. vv. 961—973.

Tecmessa Aiacem mortuum deplorans *Ὀδυσσέως χάριν* tantam calamitatem a Minerva inflictam esse monet vv. 953 sq., sed choro lamentanti, quod ille cum Atridis audito mortis nuntio superbe exsultaturus sit (vv. 954—960), sic respondet vv. 961 sqq.:

οἱ δ' οὖν γελώντων κἀπιχαιρόντων κακοῖς
τοῖς τοῦδ' . ἴσως τοι κεἰ βλέποντα μὴ 'πόθουν,
θανόντ' ἂν οἰμώξειαν ἐν χρείᾳ δορός.
οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
ἔχοντες οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ.
ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς,
αὑτῷ δὲ τερπνός . ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν
ἐκτήσαθ' αὑτῷ, θάνατον ὅνπερ ἤθελεν
τί δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;
θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ.
πρὸς ταῦτ' Ὀδυσσεὺς ἐν κενοῖς ὑβριζέτω.
Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ
λιπὼν ἀνίας καὶ γόους διοίχεται.

„Rideant illi“, ait, „et gaudeant huius clade: sine dubio in pugna eum desiderabunt: nam perdita demum bona imprudentes aestimant.“ (vv. 961—65). Post haec quae sequuntur, Brunckius quidem ita vertit: „mihi acerbus periit *magis* quam illis iucundus ipsi autem lubens“ scholiastam secutus, qui haec adnotat: ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν: μᾶλλον ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἤπερ ἐκείνοις γλυκύς, ἐπεὶ ὧν ἐπεθύμει ἔτυχεν· οὐκ ἂν οὖν κ. τ. λ. Quam μᾶλλον adverbii omissionem ut comprobarent, editores citarunt tum Homerica illa A 117 βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι et Λ 318 sq. ἐπεὶ νεφεληγερέτα Ζεὺς Τρωσὶν δὴ βόλεται δοῦναι κράτος ἠέπερ ἡμῖν tum virorum doctorum doctissimas ad varios scriptores adnotationes, quas qui evolvit ad novos semper eiusdem sententiae auctores relegatur, ita ut longum sit omnes enumerare. Nec dubitari potest, quin Graeci sibi concesserint talem usum: sed postquam quaeri coeptum est et quibus condicionibus adstrictus fuerit et quando invaluerit, plerosque confudisse apparuit et genera et tempora diversissima. Nam etsi totam hanc quaestionem nondum ad liquidum perductam esse recte monuerit C. F. Hermannus ad Lucian. hist. conscr. p. 124, tamen illud videtur constare in posteriori quidem graecitate multo latioribus finibus circumscriptam fuisse illam licentiam, sed optimae aetatis scriptores non omittere μᾶλλον nisi post ea verba, quae per se ipsa habent notionem comparativam vel comparativae affinem, velut νικᾶν, βούλεσθαι, λυσιτελεῖν cet. nec non ante ἤπερ particulam compositam in qua adaucta esse videtur simplicis ἤ notio („ehe denn“) (cf. Herod. 9, 26 ἡμέας δίκαιον ἔχειν τὸ ἕτερον κέρας ἤπερ Ἀθηναίους). reliqua autem exempla, quae non et ipsa ita comparata sunt, ut speciem potius ellipsis quam ellipsin habeant, aut falsa interpretatione aut deterioribus lectionibus nituntur. (Cf. Bernhardyum in synt. gr. p. 437 not. 86 et Nitzschium ad Plat. Ion. p. 67 sqq.). Sophoclem igitur non idem sibi indulsisse quod vel novi testamenti scriptores vel Lucianum et Alexandrum Aphrodisiensem, nunc viri docti eo magis consentiunt, quod etiam sententiae nomine suspecta est haec comparatio.

Nam per se quidem Tecmessa apte dicere potest sibi plus do-

loris quam inimicis gaudii morte Aiacis natum esse: sed in hac oratione non, ut ita dicam, temere suos sensus persequitur, ut proferre possit quidquid doloris acerbitati convenit — quamquam haec et Hermanni et aliorum opinio erat, — sed, ut Nitzschius l. s. c. p. 69 Hartungio probante ait, „tota est in eo, ut defuncti felicitatem inimicorum Sardoniis gaudiis opponat, licet suum non possit non intermiscere luctum“: officit enim oppositioni illi comparatio, quae ut haec ad elevanda eorum gaudia pertinet.

Itaque abiecto scholiastae errore ἤ adverbium non comparativum sed disiunctivum esse multi statuunt. E quibus Nitzschius cum Lobeckio momentum sententiae in δὲ particula adversativa simul et intensiva versari putant: „mihi acerba sive illis dulcis eius mors acciderit, ipsi vero felix fuit.“ Apitzius autem collatis de omisso εἴτε O. R. 517, Fr. 236, Hor. Sat. 2, 5, 10 sic interpretatur: „sive mihi acerbus sive illis dulcis, sibi iucundus periit“; denique Scholefieldius ad Dobr. adv. 2, 44 vertit: „utcunque vel mihi acerba vel optabilis istis, certe ipsi iucunda mors fuit.“ Sed licet in prioribus saltem duabus interpretationibus et alterius ἤ ommissio comprobari videatur exemplo ab Hoffmanno allato (in diar. gymnas. austr. 1850 p. 680), Eur. Ion. v. 1537 sq.: ὁ θεὸς ἀληθὴς ἢ μάτην μαντεύεται, ἐμοῦ τάρασσει, μῆτερ εἰκότως φρένα et offensione careat δέ particula quam idem Hoffmannus (ibid. 1854 p. 541) in dubitationem vocavit αὐτῷ γε desiderans (cf. praeter auctores a Nitzschio in partes vocatos Matthiaei gr. gr. § 616), tamen intolerabilis est eiusmodi disiunctio: nam ipsum illud exemplum Euripideum ostendit tum demum duas res hoc modo disiungi posse, cum altera alteram excludit: hic vero procul dubio obitus Aiacis simul Tecmessae πικρός est et hostibus γλυκύς. Quae offensio quantum valeat optime intelleges, si ex infelicissima Nevii coniectura interrogationis signum post v. 966 posueris: ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς; αὐτῷ δὲ τερπνός.

Alii de interpretatione desperantes scripturae codicis Laurentiani, Suidae s. v. Γλεῦκος, Eustathii ad Hom. Od. 7, 205 p. 1521, 42 consensu munitae ad mutationes confugerunt, qua-

rum unam, nonnisi ex Engeri recensione (Phil. 10, 96) nobis cognitam, ne intellegimus quidem, Martini ἦ κείνοις γλυκύς, Schneidewini autem ᾗ κείνοις γλυκύς „eadem ratione qua“, quamquam ab Eustathio quoque scriptum esse et sibi et Rauchensteinio (Iahn ann. 62, 121), Kaysero (ibid. 63, 11), Wolffio persuasit[1]), iure Hoffmanno (l. s. a.) languere videtur: nec magis aut elegantia aut gravitate commendari senties Hartungii ὡς κείνοις γλυκύς, licet in Suidae codice Vossiano tradatur: denique neque Elmsleii εἰ κείνοις γλυκύς iam Hermanno et Lobeckio improbatum neque elegans illud Meinekii (anal. Soph. p. 284) κἀκείνοις γλυκύς — quod se proponere ait vir doctus, quia ne ab interpolatore quidem ἤ scribi potuerit — alias huius versiculi offensiones tollit.

Namque omnino iucundam dici Aiacis mortem nobis quidem abhorrere videtur a consilio orationis, quae, ut iam diximus, defuncti felicitatem inimicorum gaudio ita opponit, ut hoc vanum atque irritum esse ostendat. Hanc enim sententiam choro de Ulixis et Atridarum triumpho lamentanti graviter obiectam non solum in initio orationis fusius persequitur per vv. 961—965, sed infra quoque tenet in vv. 969 et 971, nihil esse demonstrans, cur fortissimi propugnatoris sui morte laetentur. Itaque quamvis aliquis dicere possit etiam vanum illum triumphum γλυκύν esse, tamen et ea, quae praecessit, argumentatio et tota orationis continuitas atque constantia

---

1) Eustathius cum ad Alcinoi verba Od. 7, 205 ἐπεί σφισιν ἐγγύθεν εἰμέν Ὥσπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων haec adnotet: ἤγουν οὕτως ἐσμὲν φίλοι θεοῖς, ὡς ᾠκείωνται ἀλλήλοις οἱ Κύκλωπες καὶ οἱ Γίγαντες λαβὼν ἐκεῖνος τὴν ὁμοιότητα ἐκ τῶν ἐναντίων μὲν, ὁμοίων δὲ ὅμως κατὰ σχέσιν ποιότητος. ὡς καὶ εἴ τις εἴποι „τόσον ἡδὺ τὸ μέλι ὅσον ἀηδὲς τὸ ἀψίνθιον.“ τοιοῦτον σχῆμα καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ· „ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς,“ recte quidem Schneidewinus monuit eum nullo iure in partes vocari ab eis, qui μᾶλλον adverbii omissionem statuunt: sed non necessario sequitur, ut ᾗ legerit. Imo, ni fallimur, perperam interpretatus est, quam recte interpretari nemo poterit, ἤ voculam, eodem errore obstrictus quo Thierschius: hic enim (in Muench Gel. Anz. 1851, vol. 32, p. 758) ita vertit: „mihi t a m amarus q u a m illis iucundus periit,“ sed exemplis talem ἤ particulae usum nec comprobavit nec potuit comprobare.

hoc potius flagitabat: „mors eius et mihi et illis *pariter* acerba est,“ vel illis *vix minus acerba* est quam mihi. [1])

Sed ne haec quidem emendatior dictio, si posita esset, vitio careret. Postquam enim, ut diximus, per quinque versus 961—965 de detrimento Atridis illato actum est, praeter spem atque exspectationem nulla iunctura interposita ad Tecmessam transitur: quem transitum elegans poeta sibi parare debebat aut *δέ* particula inserta aut toto enuntiato aliter conformato.

Neque vero solo versiculo 966 et sententiae et dictionis perpetuitas turbatur.

Etenim quem supra adhibuimus ad *consilium* orationis illustrandum v. 969, eum veremur ut conciliare possis cum ea sententia, quae *supposita* est toti responso. Nam cum choro respondeatur inimicos exsultare suspicanti, satis elucet Tecmessam non negare, quod ille dixit, sed hoc tantum agere, ut vanam nec diu duraturam esse laetitiam eorum demonstret: quod quoniam persuasissimum habet, ironice v. 961 *οἱ δ' οὖν γελώντων κἀπιχαιρόντων κακοῖς τοῖς τοῦδ'* ridere atque gaudere eos iubet, supponens re vera eos, ut chorus coniecerat, primo mortis nuntio allato risuros atque gavisuros esse. At v. 969 cum interroget *τί δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;* idem negare videtur: quae diversitas eo ingratior est, quod duobus versibus post *πρὸς ταῦτ' Ὀδυσσεὺς ἐν κενοῖς ὑβριζέτω* ad eandem ironiam, qua in initio usa est, reversa iterum Ulixi, ut victoria sua glorietur, permittit. Itaque valde suspecta est haec interrogatio, praesertim cum facile accommodari potuerit sententiae et in initio et in fine suppositae paululum sic transformata: „*quo* igitur *iure* huic irrideant?“ — quo additamento omisso non credimus Sophoclem sustulisse orationis aequalitatem atque constantiam. Eo magis igitur memoratu dignum est hunc versiculum a Porsono

[1]) Quam offensionem miror quod nemodum animadvertit: quamquam sententia similis ei, quae desideratur, invito, ut videtur, Bernhardyo l. s. a. excidit, qui, ut *μᾶλλον* adverbii omissionem explicaret, *ἤ* idem significare statuit atque Herodoteum illud *ἤπερ* compositum et sic vertit: „mihi potius acerbus quam illis iucundus periit.“ Sed neque exempla adhuc attulit et tam dubitanter sententiam suam proposuit, ut vix ipsi persuasum fuisse iure suspiceris.

(praef. ad Eur. Hec. p. XXXI) inter pauca ea exempla enumerari, ubi tertius et quartus pes uno vocabulo comprehenduntur, nec non eo nomine multos offendere, quod ἐπεγγελᾶν cum κατά praepositione constructum est: quam ordinationem licet Lobeckius Ellendtio (s. v. ἐπεγγ.) feliciter tueri videatur ad partes vocato Electrae versu 835 κατ' ἐμοῦ τακομένας μᾶλλον ἐπεμβάσῃ — diversa enim ratio est in duobus aliis exemplis ab eodem allatis Phil. v. 328 ἐγκαλῶν κατ' αὐτῶν et Oed. Col. v. 1339 κοινῇ καθ' ἡμῶν ἐγγελῶν, quae semel composita habent — tamen quam insolentiam in cantico poeta sibi indulsit, eam „mirabilem“ videri in trimetris Meinekio concedes (anal. Soph. p. 284). Coniecturam vero eiusdem τί δῆτα τοῦδ' ἔτ' ἐγγελῷεν ἂν κάτα non probabiliorem esse intelleges quam aut Porsoni commentum τί δῆτα τοῦδε γ' ἐγγελῷεν ἂν κάτα — ubi τοῦδε pronomini immerita gravitas tribuitur — aut violentius Elmsleii (cens. Hec. p. 73) πῶς δῆτα τοῦδ' ἂν ἐγγελῷεν ἂν κάτα et Wakefieldi (silv. 3, 67) τ ο ῦ δῆτα τῷδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα: sive enim temporalem notionem habet („noch“), sive adauget („insuper“ „noch dazu“) pariter inopportunum est ἔτι adverbium. — Porro cum conclusiva sit δῆτα particula pronominibus vel coniunctionibus interrogativis addita, concludi argumentationem eo magis exspectes, quod ipsis verbis τί δῆτα τοῦδ' ἐ π ε γ γ ε λ ῷ ε ν ἂν κάτα ad exordium οἱ δ' οὖν γ ε λ ώ ν τ ω ν se applicantibus quasi circulus quidam orationis absolvi videatur. Neque licebit in partes vocare tria alia exempla Sophoclea, ubi tali interrogationi conclusivae in media oratione adhibitae positivum enuntiatum quasi responsi loco subiungitur, O. R. 592 sqq., 599 sq., Ai. 518 sq.: ibi enim haec positiva enuntiata, quibus quasi respondetur, non nova argumenta afferunt, sed eandem sententiam persequuntur, quae exposita est in eis, e quibus profecta est interrogatio illa conclusiva. Sic in O. R. Creon, postquam vv. 590 sq. exposuit se privatum facile assequi posse, quidquid velit, regnum autem multum molestiae habere, vv. 592 sq. „qui igitur“, ait, „tyrannidem praeferam imperio tranquillo? nondum adeo mente captus sum, ut desiderem nisi quae lucrum afferant.“ Neque alia ratio est aut in vv. 599 sq. aut

Aiacis loco illo, ubi Tecmessa nihil spei nisi Aiacem sibi reliquum (v. 514), patriam et parentes sibi ademptos esse (vv. 515—17) professa vv. 518 sq. sic pergit: *τίς δῆτ' ἐμοὶ γένοιτ' ἂν ἀντὶ σοῦ πατρίς; τίς πλοῦτος; ἐν σοὶ πᾶς ἔγωγε σώζομαι.* At nostro loco post *τί δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;* prorsus nova res antea ne uno quidem verbo indicata *θεοῖς τέθνηκεν* praeter spem atque exspectationem infertur: quod incommodum augeri senties eo, quod eadem pariter improviso derelinquitur uno versiculo admodum abrupte absoluta. Nec laudare poteris *οὗτος* pronomen post *τοῦδε* (969) valde languidum: quo omisso si scriptum esset *θεοῖς τέθνηκεν, οὐ κείνοισιν, οὔ,* multum, opinor, proficeret orationis gravitas. Ipsum vero argumentum *θεοῖς τέθνηκεν, οὐ κείνοισιν, οὔ* parum considerate, si quid video, adhibetur: cum enim et prologus fabulae satis doceat et ipsa Tecmessa paulo ante (vv. 953 sq.) diserte dixerit *Ὀδυσσέως χάριν* Aiacem a Minerva perditum esse, sane habet Laertiades, cur sibi cecidisse inimicum glorietur.

Post v. 970 quae sequuntur, per se quidem spectata vitio carent: sed si totius orationis argumentum disposueris, hanc non genuinam ordinationem esse intelleges. Nam primum exponitur Atridas mox desideraturos esse Aiacis fortitudinem: tum Tecmessae quidem tristem, ipsi tamen mortuo exoptatam esse mortem: deinde deis eum cecidisse: postremo verbis *Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν* breviter repetitur argumentum primum et repetito additur eadem, quae secundo adiecta est, de Tecmessae calamitate observatio: quae confusio eo intolerabilior est, quo paucioribus versiculis continetur. Nec te fugiet ab eodem versu 966 incipere et has dispositionis turbas et omnes reliquas, quae nobis notandae erant, tum sententiae tum dictionis offensiones.

Itaque alii hanc orationem aut cum Piderito [1]) laudent ut et egregie ordinatam et omnibus aliis virtutibus insignem aut cum Kaysero [2]), Lazarewiczio [3]), Wolffio excusent vehe-

---

[1]) „Die scenische Analyse des soph. Drama's Aias" Hersfeldae 1851 p. 89 sq.

[2]) Iahn. ann. 63 p. 16.

[3]) „De versibus spuriis apud Sophoclem" Berolini 1856 p. 18 sq.

mentissima, quae Tecmessam perturbet, animi commotione — quo artificio nullas ineptias non defendere poteris, — nos quidem eundem nitorem, quem per totam hanc scenam haud minus commotae lamenta produnt, hic quoque desideramus et eruendum esse arbitramur ex interpolatorum additamentis: de hoc enim corruptelae genere cum per se ipsa cogitare iubeat gravissimorum vitiorum natura, haud contemnenda accedit altera res, qua confirmetur illa suspitio.

Namque tota haec Tecmessae et chori lamentatio lyrico systemate continetur in stropham et antistropham diviso. Quarum reliquae partes cum accuratissime et metrorum varietate et personarum distributione sibi respondeant (879—914= 925—960), solae Tecmessae oratiunculae in utriusque fine additae inter se differunt, altera decem (915—924) altera tredecim versiculos complectens (961—973). Quae discrepantia cum multis editoribus tum Heilandio tolerabilis visa est[1]), qui collatis Aesch. Suppl. vv. 333—426, Ag. 1367—1410, Choeph. 1000—1040, Pers. 695—709 in fine systematis recedi posse docuit a responsionis severitate: acerrimi autem eius defensores exstiterunt Pideritus (l. s. a.), Kayserus (l. s. a.), Wolffius (in diar. litt. ant. 1852 p. 524), Lazarewiczius (l. a. p. 20). Sed ex his Kayserum nihil probasse cum personarum distributionem neglectam esse ostenderet in Oed. R. vv. 669—77 = 688—706 et Oed. Col. 1486—1490 = 1500—1504 ne Lazarewiczium quidem fugit: porro quod argumentum Pideritus et Wolffius protulerunt, anapaestos quoque quamquam lyricis metris multo affiniores quam iambos tamen saepe procul abesse ab accurata systematum responsione, id examini subiicere haud magis nostrum est quam trimetros Aeschyleos ab Heilandio citatos; quamquam eos omnes diversos esse Leutschius (Philol. 10, 367) affirmat: Sophocleum denique locum huic similem — de tali enim agi intellexit — unum quidem attulit Lazarewiczius, sed similem ea quoque re, quod corruptissimus est multisque virorum doctorum coniecturis tentatus, Creontis carmen dico Ant. vv. 1261 sqq. = 1284 sqq. In quo quia pariter offen-

---

1) In progr. Stendal. a. 1851 „metrische Beobachtungen“ pag. 10 sq.

dunt strophae vv. 1279 sq. et 1281 atque antistrophae v. 1301, non mirandum est alios aliter tollere conari unius versiculi differentiam. Cum enim Brunckius, Hermannus, Wieselerus (in ind. lectt. Goetting. anni 1857, p. 11) eo inclinent, ut aliquid excidisse putent, Heilandus, Dindorfius (praef. vol. VIII ed. III, Oxon. p. VI), Schoellius delent versum 1281, Nauckius autem v. 1279 nobis quoque suspectum. Itaque tali exemplo nihil praesidii nostro parari elucet. Quamquam fatemur huic soli offensioni nequaquam tantum a nobis tribui, ut propter eam tres versiculos innocentes damnare audeamus: at cum nocentissimum esse haud unum pro certo perspexerimus, totam vero alteram oratiunculae partem egregie mixtam atque perturbatam, ne punctum quidem temporis dubitamus, quin ea sola recta medela putanda sit, quae cum sententiae et dictionis concinnitate simul versiculorum numeri consensum restituat.

Eandem rationem multos quidem secutos esse videmus, sed nemo ex recentioribus, qui aut omnes aut plurimas saltem offensiones perspexerunt, eas removere potuit: nedum deteriorum quorundam codicum librariis contigerit, qui sola numerorum responsione duce eidem choro, qui v. 975 tacere iubet Tecmessam, vv. 971—973 assignarunt. Sub qua infelicissima librariorum coniectura genuinae distributionis vestigium latere opinatus Leutschius (Goett. Gel. Anz. 1855 No. 17 p. 167) vv. 966—68 ut turbantes quidem argumentationis nexum, sed sententia tamen similes post v. 973 transposuit et choro dedit, a quo saepius aliquot trimetros systemati superadditos pronuntiari observavit (cf. El. 251 sqq.): posteaquam vero intellexit ne sic quidem hos versus ad Tecmessae orationem commode se applicare (Philol. 1855, p. 367), coniecturam addens coniecturae lacunam ante eos statuit: quo artificio per se quoque valde improbabili non opus est ut moneamus fere nullam tolli ex offensionibus supra expositis.

Eidem versus, qui Leutschio transponendi, Dindorfio (cf. praef. vol. VIII ed. Oxon. III p. VI) et Meinekio (anal. Soph. p. 284) delendi esse videntur. Sed licet versum 966 haud aegre desideraturi simus, tamen neque haerere desinemus in

vv. 969 sq. neque unquam credemus spurios esse vv. 967 sq.: in quibus quam illi vitaperarunt abundantiam ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν ἐκτήσαθ' αὑτῷ, θάνατον ὅνπερ ἤθελεν, eam nos insignem esse arbitramur et aptissimam sententiae gravitati nec non satis defensam, si quidem defensione eget, verbosius dictorum exemplis a Wolffio allatis El. 762, O. C. 1704 sq., O. R. 337 sq., 818 sq., Tr. 431—33, quibus addas O. R. vv. 74 sq. et 779 (neutrum enim viri docti tentare debebant).

Nec felicior fuit in indaganda interpolatione, qui primus accuratam strophae et antistrophae aequalitatem flagitavit, Schoellius in versione Aiacis Berolini a. h. s. 42 edita: is enim quo iure vv. 961—70 ut apte ordinatos et gravi clausula insignes laudet, sponte apparet ex supra dictis: versus autem 971—73 tantum abest ut aut Schoellio aut Thierschio, qui in illius sententiam inclinat (Muench. Gel. Anz. 1851, vol. 32 No. 94 p. 759), inanes esse concedamus meramque antea elegantius dictorum repetitionem, ut duo posteriores (972 sq.) nobis videantur tenerrimi affectus pleni et ad misericordiam commovendam efficacissimi [1]), primus vero (971) eo gravior in conclusionis exordio, quod et solus in tota oratiuncula Ulixem commemorat inimicorum inimicissimum et ipso verbo ὑβριζέτω chori ἐφυβρίζει (954) refutat. Quamquam Schoellio hoc persuaderi posse desperamus: qui ut in altera versione Aiacis Stuttgartae a. h. s. 60 emissa miratur, quod editores tueri pergant hos versus iam ante decem et octo annos a se damnatos, ita olim sine dubio mirari debebit eadem contumacia servari vv. 964 sq.: οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισιν τἀγαθὸν χεροῖν ἔχοντες οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ: nam hos quoque eiecit, quo caeco furore grassari coepit in sententias communes, eisque ex stropha socios addidit mollissimos vv. 923 sq. ὦ δύσμορ' Αἴας, οἷος ὢν οἵως ἔχεις, ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν. [2])

---

[1]) De qua re disertius quam Lazarewiczium l. a. p. 19 disputantem audias Pideritum l. a. p. 80.

[2]) Bergkium iure vituperat Lazarewiczius l. a. p. 17, quod in Iahn. ann. 61, 242 statuit vv. 969—73 dittographiam eorum, quae praecedunt, v. 968 autem

Schoellii de versibus 972 sq. iudicio subscripsit Schneidewinus simul monens eos confictos esse ad similitudinem Trach. versuum 41 sq. *πλὴν ἐμοὶ πικρὰς ὠδῖνας αὐτοῦ προσβαλὼν ἀποίχεται*: pro versu autem 971, qui apte ad exordium orationis respicere et quasi circulum argumentationis efficere ei videretur, uncis inclusit v. 969. Quae coniectura proposita in Philol. 4, 472 et recepta in editionem primam, abiecta in secunda, denuo recepta in tertiam Rauchensteini quidem applausum tulit (in cens. ed. Schneidew. Iahn ann. 62,121): sed neque similitudinem illam suspectam esse docebunt exempla supra ad Ant. v. 46 a nobis allata et sublato quamvis molesto versu 969 aeque hiulcam esse senties orationem inter vv. 968 et 970.

Multo plus quam omnes alii, qui de hoc loco scripserunt, ad eius emendationem contulisse putandus est Robertus Engerus in dissertatione novi musei Rhenani vol. XIV pag. 475 sqq. inserta, sic scribendo:

οἱ δ' οὖν — δορός. 963
οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν 964
ἔχοντες οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ. 965
πρὸς ταῦτ' Ὀδυσσεὺς ἐν κενοῖς ὑβριζέτω· 971
Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ 972
πικρὸς τέθνηκε μᾶλλον ἢ κείνοις γλυκύς, 966
αὑτῷ δὲ τερπνός. ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν 967
ἐκτήσαθ' αὑτῷ, θάνατον ὅνπερ ἤθελεν. 968

nam et recte perspexit ex perturbata illa posteriori orationis parte nullum versiculum aptius se applicare ad priorem integram 961—965 quam 971 neque fugit eum, de quo neque nostrum iudicium anceps fuerat neque adstipulari dubitavit Nauckius (in ed. IV), delendos esse vv. 969 et 970. Attamen non una ex parte laborat hoc commentum: primum quod errore quasi residuo de Schoellii et Schneidewini opinionibus expungit versum 973, qui venustissimus nobis vide-

glossema, vv. denique 966 sq. sic mutandos esse: *ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς, αὑτῷ δὲ τερπνῶς· ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεν.* In editione autem vir doctus satis habet adnotare interpolatum esse hunc locum.

tur, deinde iam supra Thierschio assensi sumus totius orationis consilio parum commendari comparationem inter Tecmessae et Atridarum affectus institutam *ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκε μᾶλλον ἢ κείνοις γλυκύς*. Cum enim triplici ratione considerari possit Aiacis mors, quid Atridis, quid Tecmessae, quid ipsi mortuo attulerit, apte quidem *haec tria* inter se opposita comparantur: *Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν, αὐτῷ δὲ τερπνός*: sed in hanc comparationem intrusa est altera *ἐμοὶ μᾶλλον πικρὸς ἢ κείνοις γλυκύς* et ea quidem ad eosdem Atridas pertinens, de quibus iam primo loco actum est in tripertita illa comparatione: quo necesse est ut turbetur huius aequalitas, praesertim cum diversa supponatur cogitandi ratio: haec enim veram rationem spectat, qua debeat mors Aiacis considerari (*Αἴας αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν*), illa vero (*γλυκύς*) falsam, qua consideretur. Imo, quod supra diximus, orationis consilium defendere, ne „dulcis“ Atridis vocetur Aiacis mors, id maxime confirmari intelleges hac scriptura. Etenim cum in verbis *Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν* particula *ἀλλά* non eam vim habeat, ut inducat rem contrariam („at, contra, dagegen“) — nam quae antecedunt etiam Atridis acerbam esse Aiacis mortem indicant — sed cum gradatione componat potius quam opponat rem similem („aber vollends“): „Aias (ihr tapferster Kämpfer) ist für sie verloren, aber vollends für mich ist sein Tod bitter“, prorsus vetat haec sententiae continuitas eandem mortem simpliciter laetam Atridis dici: „Aias ist ihnen verloren, aber vollends, mir macht sein Tod mehr Schmerz, als ihnen Freude“ : senties enim desiderari additamentum, quo vana eorum atque praematura laetitia diserte significetur. Cum qua offensione arctissime cohaeret altera, quam mireris non observatam esse ab eodem Engero, „qui primus subtiliter vituperavit in vv. 969 sq. pronominum abundantiam“: vix enim elegantiorem ipse restituit: *Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκε μᾶλλον ἢ κείνοις γλυκύς*. Quid multa? semel admonitus senties impeditae Engeriani commenti constructioni multo praeferendam fore, si posita esset, puram quam supra enucleavimus comparationem tripertitam: *Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ'*

ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν, αὐτῷ δὲ τερπνός. Denique concedes non commodiorem quam quod assequitur ipsam esse emendandi rationem Engeri: neque enim acquiescit in eiiciendis et transponendis totis versibus, quorum artificiorum coniuncta opera vix supersederi poterit, sed insuper confugit ad desperati versiculi 966 sarturam.

Qua vero leniori medela simul servari possint indubitata Engerianae coniecturae commoda et offensiones eius removeri, iam ipse, opinor, intelleges: furcis expelles, quam tum in tradita scriptura tum in melioribus virorum doctorum commentis haud levissimam turbarum caussam esse cognovimus, versum 966 et expulso substitues egregium 973. Hanc enim genuinam esse orationis speciem pro certo contenderim.

οἱ δ' οὖν γελώντων κἀπιχαιρόντων κακοῖς,
τοῖς τοῦδ'. ἴσως τοι κεἰ βλέποντα μὴ 'πόθουν
θανόντ' ἂν οἰμώξειαν ἐν χρείᾳ δορός.
οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
ἔχοντες οὐκ ἴσασι πρίν τις ἐκβάλῃ. 965
πρὸς ταῦτ' Ὀδυσσεὺς ἐν κενοῖς ὑβριζέτω. 970
Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ 972
λιπὼν ἀνίας καὶ γόους διοίχεται, 973
αὐτῷ δὲ τερπνός· ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν 967
ἐκτήσαθ' αὐτῷ θάνατον ὅνπερ ἤθελεν. 968

Ita sublata omni vel sententiae vel dictionis inconcinnitate, oratio restituitur si quae alia Sophocle digna. „Laetentur“ inquit, „huius clade, fortasse olim deplorabunt in pugnae necessitate, quem vivum non desiderabant: imprudentes enim perdita demum bona recte aestimant.“ Quo argumento absoluto ad ipsum propositum redit creberrima illa formula conclusiva *πρὸς ταῦτα* usa iterumque inimicos triumpho suo gloriari iubet, quem vanum esse statim altero argumento probatura est. Quod cum in eo positum sit, ut Aiaci ipsi desiderata fuisse mors dicatur, sponte nascitur oppositio inter hanc felicem ipsius mortui condicionem et minus felicem inimicorum propugnatore fortissimo orbatorum. Itaque apte rem antea iam fusius expositam repetit paucissimis quidem sed gravissimis verbis *Αἴας γὰρ αὐτοῖς οὐκέτ' ἐστίν:* Aiacis enim

nomine praegnanti, quam hodierni vocant, significantia pronuntiato omnes viri fortissimi laudes complexa, quantum illud ἀγαθόν (964) fuerit, ostendit.[1]) Quod dum facit, memoria magni, quod et ipsa accipit, detrimenti animum tangente dolor amantissimae coniugis vehementer erumpit ac „mihi vero", inquit, luctum et lamenta decedens reliquit": mox autem ipsa quasi sedat dolorem suum, quod sibi luctuosum, id mortuo iucundissimum esse reminiscens. — Qua conclusione vix aptior threno imponi potuit: simul enim docemur ipsum Aiacem non deplorandum esse et suavissimum Tecmessae animum abhinc taciturae ex ultimis eius verbis egregie denuo cognoscimus.

Restat ut paucis exponamus, quibus gradibus in hac genuina oratione usque eo corruptela processisse nobis quidem videatur. Primum, ni fallimur, ut clausulae potissimum orationum excitare solebant interpolatorum studia, adiecti sunt post eam vv. 969 et 970. Sic aucta cum nescio quo casu factum esset ut perturbaretur vvibus 971—973 de sede sua post finem transpositis, manifestam lacunam inscitus aliquis Graeculus explevit infelici illo versiculo ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς. Cuius sententiam, quoad recta, mutuatus est ex eisdem versibus, quorum illa propria sedes fuerat; dictionis autem exemplar, a quo longius recedere nefas esset, sibi proposuit versum 970. Ita enim consentaneum est a nobis explicari notabilem horum versuum similitudinem ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς et θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ, de qua Engerus contrarium statuere debebat, ut qui genuinum putet priorem. Quamquam non valde obloquemur, si quis propter hanc similitudinem de duabus tantummodo depravationis gradibus cogitet, ita ut prius transpositos esse credat vv. 971—973 et transpositis demum ab eadem manu simul substitutum versum 966 et praemissos vv. 969 et 970.

Postremo operae pretium erit monere, luculento exemplo hos tres versus spurios demonstrare, ubi de interpolatione

---

[1]) Hanc eximiam loci vim si viri docti animadvertissent, nulli in mentem venisset Sophocli eum abiudicare.

quaeritur, ne assis quidem faciendas esse auctoritates, quibus illi nitantur scholiastae Laurentiani, Suidae, Eustathii.

Phil. vv. 877 sqq.

Philocteta e somno, quo oppressus fuerat cessante morbi vehementia experrectus Neoptolemo gratias agit, quod se dormiente non abierit (vv. 866—76). Deinde pergit:

καὶ νῦν ἐπειδὴ τοῦδε τοῦ κακοῦ δοκεῖ
λήθη τις εἶναι κἀνάπαυλα δή, τέκνον,
σύ μ' αὐτὸς ἆρον, σύ με κατάστησον, τέκνον,
ἵν' ἡνίκ' ἂν κόπος μ' ἀπαλλάξῃ ποτέ,
ὁρμώμεθ' ἐς ναῦν μηδ' ἐπίσχωμεν τὸ πλεῖν.

In his versibus multa offendunt. Primum enim miramur quod tam distincte dicat σύ μ' αὐτὸς ἆρον, σύ με κατάστησον, τέκνον *tu* me *ipse* attollas *tu* me erigas, neque enim consentaneum est hoc ab alio desiderari, nisi ab eo, qui et v. 674 claudum in speluncam duxit et acerrimo morbi impetu captum cum aliis officiis iuvit tum levavit et commode ponere studuit (vv. 814—18). Nudi, opinor, ἆρον με et κατάστησον imperativi sufficiebant, vel potius alteruter ex eis, quoniam non erat cur tam instanter oraret, ubi repulsa minime timenda esset. Sed ut recte „ipsius“ Neoptolemi opera postuletur: exspectes sane Philoctetam, qui Neoptolemi et naucleri colloquio deceptus (vv. 542 sqq.) tanto studio nitebatur (vv. 635 sqq.), ut statim relinqueretur insula, unde ut Troiam se reportaret Ulixi mandatum esset (vv. 591 sqq.), quam maxime festinaturum esse profectionem subito morbi impetu retardatam. Sed nequaquam festinat quasi aut oblitus sit periculi aut nunc securior sibi videatur: non enim ut statim naves petantur flagitat, sed novo demum temporis spatio interiecto: „ut ad navem proficiscamur“, ait, ἡνίκ' ἂν κόπος μ' ἀπαλλάξῃ ποτέ „cum morbus cessaverit.“ At iam cessavisse crederes morbi impetum: nam et antea (vv. 766 sqq.) dixit somno se refici solere et nunc somno expergefactus (867 sqq.) ut sanum se gessit nec non diserte affirmavit 877 sq.: τοῦδε τοῦ κακοῦ δοκεῖ

λήθη τις εἶναι κἀνάπαυλα. Uno igitur spiritu vide quam sibi repugnantia dicat: „nunc quoniam cessare videtur malum meum, erigas me ut, cum morbus meus cessaverit, proficiscamur.“ Quae inconstantia ne bono viro imputanda sit, erunt qui hoc potius eum dicere contendant: „ut proficiscamur, cum *languor ex morbo relictus* cessaverit.“ Sic enim *κόπος* et hic a scholiasta explicatur *ὅταν με ὁ κάματος ἀφῇ*[1]) et aliis locis intellegendus est. Itaque his largiamur languoris de morbo relicti finem exspectari, etiamsi neque propria vocabuli notio, quae ictum significat, in quidquam aliud melius transferri videatur quam in subitum illum morbi impetum vehementissimum, qualem erumpere vidimus vv. 732 sqq., neque tam vera esse aut *λήθη κἀνάπαυλα δὴ κακοῦ* (v. 877) aut laudata illa somni vis salutaris, si ne adeo quidem refectus est aegrotus, ut eo ipso tempore, quo et Ulixes imminet et in patriam redeundum est per decem annos desideratam, ad litus descendere possit Neoptolemi et tot nautarum opera adiutus. Sed languoris de morbo relicti finem valde miror quod stans exspectare vult. Nam multo et commodius et certius, opinor, quam stando languorem tolles vel iacendo vel sedendo: imo experientia edocti scimus non solum non tolli, sed etiam magis quam eundo augeri fatigationem, si quis stans loco non movetur. Itaque si bene volueris misero aegroto, surgere eum vetabis, praesertim cum satis diuturnum fore languorem ipse significet dicens *ἡνίκ' ἂν μ' ἀπαλλάξῃ ποτέ* „cum cessaverit *aliquando.*“

Mirabiliter vero roganti vix minus mirabiliter respondetur a Neoptolemo: nam qui semper tam officiosum se praestitit patris amico, ut summis ab eo laudibus iterum atque iterum elatus sit, idem nunc tam instanter rogatus ut ipse levet, ut ipse erigat eum, (*σύ μ' αὐτὸς ἆρον, σύ με κατάστησον*) tantum abest, ut obsequatur ei, ut ipsa verba componere videatur ad eum irridendum v. 886: *νῦν δ' αἶρε σαυτόν.*

Denique ne quid turbarum absit, licet repulsam retulerit, Philocteta v. 894 *αἰνῶ τάδ' ὦ παῖ* etiam laudat iuvenem inoffi-

[1]) Nam certissimum est ad v. 880 haec verba pertinere, non ad v. 877, quo adhuc referuntur.

ciosum, et verbis *μ᾽ ἔπαιρ᾽ ὥσπερ νοεῖς* ab eo ut erigatur postulat quasi operam comiter sibi oblatam. — Tale colloquium intelleges non habere posse nisi aut mente captos aut surdos: nihilominus cum reliqui editores sicco pede transierunt tum Schneidewinus ad v. 889 adnotat: „*ὥσπερ νοεῖς* scil. *με ἐπαίρεσθαι* geht auf v. 886 *νῦν δ᾽ αἶρε σαυτόν.*“ Solus Meinekius (anal. Soph. p. 326) minime e re Philoctetae fore ratus, si *ποτέ* particula indicaret post aliquantum demum temporis cessaturum esse dolorem, hanc coniecturam proposuit *ἵν᾽ ἡνίκ᾽ ἂν κόπος μ᾽ ἀπαλλάξῃ, τότε ὁρμώμεθ᾽ ἐς ναῦν:* quae coniectura, ut taceam de reliquis loci offensionibus multo gravioribus, improbanda est eo nomine, quod particula demonstrativa sic collocata nimia vi levissimam notionem premit.

Iam cum de medela agatur loci corruptissimi, erunt fortasse qui leniorem desiderent: certiorem simul et probabiliorem confidimus excogitari non posse quam hanc violentam:

877 *καὶ νῦν ἐπειδὴ τοῦδε τοῦ κακοῦ δοκεῖ*
878 *λήθη τις εἶναι κἀνάπαυλα δή, τέκνον,*
881 *ὁρμώμεθ᾽ ἐς ναῦν μηδ᾽ ἐπίσχωμεν τὸ πλεῖν.*
882 *Νεοπτ.* *Ἀλλ᾽ ἥδομαι μέν σ᾽ εἰσιδὼν παρ᾽ ἐλπίδα*
ἀνώδυνον βλέποντα κἀμπνέοντ᾽ ἔτι
ὡς οὐκέτ᾽ ὄντος γὰρ τὰ συμβόλαιά σου
885 *πρὸς τὰς παρούσας ξυμφορὰς ἐφαίνετο.*
νῦν δ᾽ αἶρε σαυτόν· εἰ δέ σοι μᾶλλον φίλον
οἴσουσί σ᾽ οἵδε· τοῦ πόνου γὰρ οὐκ ὄκνος,
888 *ἐπείπερ οὕτω σοί τ᾽ ἔδοξ᾽ ἐμοί τε δρᾶν.*
879 *Φιλ.* *Σύ μ᾽ αὐτὸς ἆρον, σύ με κατάστησον, τέκνον.*
890 *τούτους δ᾽ ἔασον, μὴ βαρυνθῶσιν κακῇ*
ὀσμῇ πρὸ τοῦ δέοντος· οὑπὶ νηὶ γὰρ
ἅλις πόνος τούτοισι συνναίειν ἐμοί.
Νεοπτ. *Ἔσται τάδ᾽, ἀλλ᾽ ἵστω τε καὐτὸς ἀντέχου.*
Φιλ. *Θάρσει· τὸ γὰρ σύνηθες ὀρθώσει μ᾽ ἔθος.*

Nam Philoctetam manifesta de causa orantem, ne ultra profectio retardetur (vv. 877 sq. 881), Neoptolemus surgere iubet (v. 886): quod cum faciat, sine dubio tacite et ad surgendum et ad eundum se adminiculo offert, quemadmodum etiam v. 674 in antrum eunti *ξυμπαραστάτου* officium praestitit.

Cum autem sic quoque homini claudo iter molestum fore intellegat, interrogat eum (vv. 886—88), num a nautis et attolli et ad navem portari malit, sed his nunc parcere et ipse eum attollere iubetur. Itaque v. 893 verbis ἔσται τάδ' se obsecuturum esse significans parare sese putandus est ad eum levandum: paratus vero addit ἀλλ' ἵστω τε καὐτὸς ἀντέχου h. e. „ad pedes te erige et ipse quoque tuis viribus adnitere" (schol. ἀντιλαμβάνου cf. 1403 ἀλλ' ἀντέρειδε νῦν βάσιν σήν): nam etiamsi quis in surgendo ab alio iuvatur, tamen suis quoque viribus eum uti et ad iuvantem anniti oportet. Quod ita esse etiam Philoctetae responsum ostendit: cum enim v. 894 dicat experientia edoctum se ita assurgere posse, satis indicat non sine labore suo hoc fieri. Post illa autem verba et v. 895, dum se attollit, pausam intercedere tibi fingas.

Sic ut dicta et responsa egregie se applicent sublatis inepto versu 889 et ineptiori illo 880, qui finem κόπου desiderat diu finiti, effecisse videmur artificio, ut diximus violento quidem, sed quod solum externa probabilitas commendat. Namque omnium turbarum origo erat unius versiculi σύ μ' αὐτὸς ἆρον, σύ με κατάστησον, τέκνον transpositio: qui postquam de sede sua excidit, in margine quidem codicis videtur additus esse, sed loco superiore et ita ut quo pertineret non satis indicaretur. Deinde stupidus aliquis librarius cum in textum eum recipere vellet, facile ad opinionem adduci poterat, verbis profectionem desiderantibus (v. 881 ὁρμώμεθ' ἐς ναῦν κ. τ. λ.) praemitti debere ea, quibus ut erigatur postulat: imo nescio an ἀσύνδετον constructionem σύ μ' αὐτὸς ἆρον, ὁρμώμεθ' ἐς ναῦν haud ita intolerabilem esse duxerit. Quamquam haec singula dubia sunt: illud certum, versiculum illum a Sophocle ante v. 890 positum qualicumque casu post. v. 878 translatum esse. Quod cum factum esset, stuporem vel librarii vel grammatici, qui recensionem Sophoclis susceperat — nam de recensione ut cogitemus et hic locus suadet et Aiacis quem supra tractavimus — non fugit quidem lacunam esse ante v. 890 nec cohaerere verba illa σύ μ' αὐτός κ. τ. λ. cum eis quae sequerentur ὁρμώμεθ' ἐς ναῦν, sed idem, quid sensus flagitaret, neutro loco perspexit: nedum praesto ei

fuerit Sophocleae dictionis concinnitas atque ubertas. Itaque illic *σύ* duplicis et *αὐτός* pronominum gravitate haud magis offensus quam *τέκνον* vocativo bis deinceps in fine versiculorum 878 et 879 ineleganter repetito, iungenda esse ratus quae iungi nullo modo possent confecit durissimum illum versiculum *ἵν' ἡνίκ' ἂν κόπος μ' ἀπαλλάξῃ ποτέ*, qui quam ridiculam sententiam efficiat satis videmur demonstrasse. Nec felicius consarcinavit alterum, 889: quem si quis emendatione accommodare vellet Neoptolemi verbis v. 886—88, prope nulla vocula servari posset praeter *μ' ἔπαιρ'*, ac ne haec quidem sine *σύ* vel *αὐτός* pronomine, quod ut diserte addatur oppositio flagitat.

Denique uno verbo monemus totius loci corruptelam, quae nobis tradita est, iam traditam fuisse non solum ei, cui hodierna scholiorum collectio debetur, sed etiam auctori eius. Quod ita esse inde apparet, quod praeter annotationem *ὅταν με ὁ κάματος ἀφῇ*, quam ad spurium versum 880 pertinere iam diximus, etiam haec altera extat *γρ. κόπου ἀπαλλαχθῶμεν* (Br. *ἀπαλλαχθῶ*); hanc enim non variam lectionem esse corruptam, sed glossam, quae ab antiquiore interprete adstructa postea demum ab epitomatore sive a librario pro varia lectione habita sit, contra Anonymum Diarii Classici I p. 838 et Buttmannum cum reliqui editores statuunt, tum qui de toto hoc genere disputat, G. Wolffius de Soph. scholl. Laurr. varr. lectt. Lipsiae 1843 p. 210.

VITA SCRIPTORIS.

Albertus Zippmann Confluentinus natus sum a. d. VI. Non. Mart. anno h. s. XL. patre Carolo, quem iam ante hos undecim annos mihi ereptum lugeo, matre Iulia de gente Albrecht. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum primordiis imbutus cum Eduardi Wagner, phil. Dr., institutione fructuosa per tres annos usus essem, vere anni LII. gymnasium adii, quod in urbe patria sub Alexandro Dominico floret: ubi omnium, quos nactus sum, praeceptorum optime de me meritos esse directorem humanissimum et Henricum Bigge, prof. cl., nunc gymnasio Coloniensi, quod ad St. Apostolos vocatur, praefectum, grato animo profiteor. Auctumno anni LVII. rite dimissus officio militari per annum satisfeci. Deinde Bonnam migravi litteris philologicis operam navaturus: sed bello Italico exorto iterum ad arma vocatus exeunte demum anno LIX. studia continuare potui. In quibus magnopere me adiuvit Gustavus Dronke, vir suavissimus, quem praematuro fato scholae litteris amicis ademptum multi lugent: plurimum autem debeo Theophilo Welcker, Friderico Ritschl, Ottoni Iahn, quorum beneficio mihi contigit, ut seminarii philologici per tria semestria sodalis ordinarius essem, per duo senior. Pari comitate me admiserunt idem Ritschl per duos annos et ad exercitationes epigraphicas et inter bibliothecae regiae amanuenses, idem Iahn per tria semestria ad exercitationes archaeologicas, per duo inter seminarii archaeologici recens instituti socios ordinarios. Praeterea philologiam me docuerunt professores clarissimi Diez, Heimsoeth, Monnard, Reifferscheid, Schopen, Simrock, philosophiam Brandis et Schaarschmidt, historiam Dahlmann, Loebell, a Sybel. Quibus viris omnibus ut iustas debitasque gratias ago, ita singulari honore mihi appellandi sunt Welcker, senex venerabilis, quem quod inter praeceptores meos referre possum

praecipuae laudi mihi duco, Ritschl, qui insigni benevolentia in perpetuum me sibi devinxit, Iahn, cuius humanitatem semper felicissime sum expertus. Denique non possum non publice testari eximie de me meritum esse Clementem Theodorum Perthes, iuris publici professorem: cuius viri memoriam per totam vitam pio gratoque animo colam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Tragici graeci etiam diverbia ad certas responsionis leges disposuerunt.

II. Aesch. Eum. v. 434 ed. Herm. (442 ed. Dind.) spurius est.

III. Obelo configas Aesch. Ag. v. 501 ed. Herm. (533 ed. Dind.)

IV. Sophoclem Trach. vv. 144 sqq. ita scripsisse suspicor:

τὸ γὰρ νέαζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται
χώροις ἔναυλον, καί νιν οὐ θάλπος θεοῦ,
οὐδ' ὄμβρος, οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ.

V. Falso Cass. Dio LIV, 10 refert Octaviano Augusto imperium consulare perpetuum esse mandatum.

VI. Clodia, Q. Metelli Celeris uxor, non est Lesbia Catulli.

VII. Varronis locum conclamatum de l. l. 8, 44 sic emendaverim: Oratio secanda ut natura in quatuor partes: in eam, quae habet casus: et quae habet tempora: et quae habet neutrum: et in qua est utrumque. Has vocant quidam appellandi, dicendi, adminiculandi, iungendi. *Apellandi dicitur ut „homo" et „Nestor": dicendi ut „scribo" et „lego": adminiculandi ut „docte" et „commode": iungendi ut „scribens" et „legens."*

VIII. In Prisc. inst. gr. XVII, 96 (ed. Keil. III, p. 161, 1) verba: „vel qualitates, quae sunt in adverbiis," interpolata sunt.

IX. Servii, qui fertur, libellus de accentibus fere totus est Varronis.
